Jo.

Jacobi Barneri Ph. & Med. D.

INCLYTI COLLEGII MEDICI AUGUSTANI ASSESSORIS

PRODROMUS SENNERTI NOVI

ſeu

DELINEATIO

Novi Medicinæ Syſtematis,

in quo

Quicquid à primis ſeculis in hunc usque diem de arte prodiit, Hippocratis, Galeni, Paracelſi, Helmontij, Sylvij, Williſij, &c. *dogmata,*

ex principiis

Anatomico-Chymicis

examinantur.

Auguſtæ Vindelicorum.

Sumptibus THEOPHILI GÖBELII, Typis JOHANNIS SCHÖNIGKII. Anno M. DC. LXXIV.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

INCLYTO
Medicorum Auguſtanorum
ORDINI,
Nobiliſſimis, Excellentiſſimis, atque Experientiſſimis
Phil. & Medic. Doctoribus,
Collegis honoratiſſimis,
S. P. D.
Jacobus Barner D.

C*Auſam, ob quam ſcriptum hocce Vobis,* Fautores ſummoperè colendi, *inſcriptum eſſe voluerim, Ipſimet vel me tacente cognitam habebitis perſpectamq́. Publicè gratitudinem teſtari debui, cum Veſtro me Ordini, quem* Aſclepiadum conſeſſum *omnium antiquiſſimum ac famigeratiſſimum non immeritò dixerim, adſcripſeritis; atque hoc eſt quod gratâ nunc manu veneror menteq́. Sed & cauſæ illius, quam ago, arbitrium jure meritoq́ committo Vobis, cum ſcripturientium novitate, quæ omnium hodiè animos occupavit calamosq́, juvenum ingenia ſeducantur, ut à priſcâ illâ eruditione, quâ ſpectati quondam fuère* Langius, Smetius, *proximeq́* Rolfincius, Sebizius, *quæve Vos inter primos ſimul collocat, deficiant prorſus. Lolium hocce infelix ſatis eradicare cupio, ſed & hoc dum ago, præripere ſimul plumas, quibus ſe corniculæ meisq́ hinc indè ornant, veritus, cum praxeos, cujus hic ſummas duco lineas, Opus multorum in manibus ſit, ne* Porzium, Beckiumve *ſequuti alij, mea tot annorum, quibus ac ævi diligentiæ longioris ſupereſſe ea adhuc debent, labore parta ſibi tribuant. Laborum fructus videbor mihi conſequi, ſi virtuti Vos pretium pôſueritis; ſi, cum cauſam omnem perſpectam jam habeatis, Veſtro ſub umbone adverſus malevolorum inſultus tutò agere potero. Quodipſum prout mihi promitto, hocq́ ſcriptum Vos benevolâ manu menteq́ accepturos, ita Veſtrûm ſingulis omnigenam felicitatem ſerosq́ apprecor annos.* Valete & favete.

C. B. D.

INter illos qui artem Medicam methodicè præceptis tradere, ac integro ſyſtemate ſibi ſumpſerunt, primum facilè locum obtinet *Sennertus* noſter, immortali propterea memoriâ digniſſimus. *Inſtar omnium* eum eſſe, ſummi nominis Medicus cenſuit *Laurembergius*, & *communem* hinc *Germaniæ Præceptorem Cl.* appellat *Bartholinus*. Inſtitutum autem ejus fuit ea omnia, quæ à primis quaſi medicinæ incunabulis ad ſua usque tempora de arte in lucem prodierunt, integro aliquo ſyſtemate exhibere, unde agitatas tunc inter medicos controverſias omnes ſummâ ſedulitate pertractavit, ſum̃o, quâ præcipuè laude affici debet, judicio, ſingulas examinavit, à partium ſtudio ac autoritate, & *magiſtri* verbis alieniſſimus, hincque à Celeberrimo *Conringio* notatur, quod in inſtitutionum ſuarum opere à veterum placitis, ac *Galeni* aliquantulum digreſſus fuerit, in opere practico illis magis adhæſerit. Certè opera ſua inſtar *locorum communium* eſſe fatetur ipſemet *Sennertus*, hocq́ue meruit non immeritò, ut omnium hodieque in manibus ſit.

Fateri neceſſe habemus laudatiſſimum Sennertum *noſtrum candidè ubique egiſſe; voluit potius ad* τὸ θεῖον *ſeu divinum illud occultumve in morbis confugere, quàm veterum authoritatè receptisq́ eorum placitis, quæ ſibi non conſtare deprehendit, ſubſcribere; deſiderari multa in arte probè vidit ac hiſce ingemuit ipſemet, ſubinde opem à Chymia expetit in explicandâ humorum naturâ, acidum, amarum* Hippocratis *admit-*

admittendum potius cenſet, in compoſitione medicamentorum longè ante Zvelferum *multa notavit; unô verbô, tantum præſtitit, quantum eo tempore poſſibile fuit, quantum nemo alius.*

Exoptandum itaque ac votis quidem omnibus eſſet, ut in hunc usque diem vitæ ſuæ terminos produxiſſet *alter* ille *medicinæ dictator*, aliam procul dubio faciem artis jam intueremur, cum illa hodiè multum exornata ſit, non immutata parùm tùm ab inventis anatomicis, *circulatione* potiſſimùm *ſanguinis*, quæ unica ferè totum Medicinæ veteris fundamentum evertere videtur, ut ipſe fatetur *Riolanus*, acerrimus proptereà quondam ejus hoſtis (ex modernis *Williſius in præfat. doct. defermentat.* dicit: *Inventâ circulatione ἰατρικὴν inſtaurandam penitus, & fulcimentis veteribus collapſis ædificium ab ipſo ſolo reficiendum curare poſteros:* Hæc ille. Sed qui ſunt illi, qui hoc præſtant? plerique veteres excuſant, & cum recentioribus conciliant) tùm ab exculta indies magis magisque arte illa, quæ *vera corporum analytica eſt, puri ab impuro ſeparatrix*, quâ commiſſi in medicamentorum compoſitione errores deteguntur, ac nova optimæ notæ ſuppeditantur remedia.

Decurſu itaque 40. annorum illorum, & quod excedit, quo fatis *Sennerti* noſtri ingemiſcimus, jacturam tanti viri irritis votis deploramus, alia atque alia ſubinde ac nova in forum Medicum prodiere. *Paracelſi* dogmata de *tribus* præcipuè *principiis* propagata ſunt magis & exculta; novam prorſus ſcenam ludere incepit *Helmontius*, ac totam veterum Medicinam diligenter à *Sennerto* etiam traditam ſubductis quaſi fundamentis evertere, *rem nibili*, ut eam vocat in *præfat. doctr. de febb.* facere, ac contra ſubſtituere *Archæum*, *laticem*, *acorem*, *duumviratum*, *actionem regiminis &c.* conatus eſt. Præterea cum alia inventa Anatomicorum, v. g. *ſuccus pancreaticus*, *lympha*, ac id genus alia

novæ

novæ immutationi anſam ſubminiſtraverint, ſexcenta alia excogitata ab artificibus ad notitiam pervenere, e. g. *de deflagratione & fermentatione ſanguinis in febribus, humore triumvirali Sylvij, anomalo ſucci nervoſi motu, ac multis aliis*; quin imo in ipſam morborum curationem & praxin introducti ſunt novi curandi modi, *Infuſionis* & *Transfuſionis ſanguinis*, ut prætercam, alia ac incognita anteà remedia, quæ *ſingularia* morborum artificibus audiunt, laudatâ illâ *Spagyricâ* arte potiſſimum elaborata, uſu hodiè innotuiſſe.

In hunc usque autem diem non prodiit ullus, qui partim veterum doctrinam illam in *Sennerto* ex principiis recentiorum Anatomico-Chymicis examinaverit (ea excipio, quæ contra veteres acerbè habet *Helmontius*, in quibus tamen, quod reticendum non eſt, in regulas Anatomicas nonnunquam peccat, excuſari verò meretur, cum tunc temporis circulatio ſanguinis & alia modernâ induſtriâ inventa nota non fuerint) partim ac conjunctim uno aliquo ſyſtemate, prout hoc à *Sennerto* ſuo tempore factum eſt, recentiorum dogmata illa nova ſub incudem non minus revocata exhibuerit, ut quid veri ſingulis ſubſit, quomodo ſibi conſtent illa omnia, palàm factum fuiſſet.

Ac propterea quidem in contrarium factum eſt, accidit indies, ut Juvenum animi lectionum multitudine confuſi, per ſcriptorum novum genus illud vagabundi incertitudine titubent, fulcris deſtituti, quæ ſunt à rerum uſu ac Judicij maturitate. Hinc ipſimet ubi hæreant, quid veri tenere debeant, dum pro *Junone* ſe haut raro offert *nubes*, neſciunt; veterum doctrinam non addiſcunt, recentiores non aſſequuntur probè, & cum illi haud raro etiam incertitudine laborent, quid ſciant, quid tenere debeant, ignorant; multos deprehendi imbibitam recen-

recentioris ſcriptoris ſententiam aliquam, ubi falſam illam eſſe demonſtratum fuit, deſeruiſſe quidem, ſed quamnam deinde ſubſtituere debuiſſent, ignorâſſe, tantum non quidem *efferveſcentiæ orgaſmo* concitabantur ipſimet, & *Archæi*, quam *Helmontius* ita vocat, ἐξάρθρωσι. Damno hoc ipſemet meo ſum expertus, cum primæ ætatis lanuginem vario huic lectionis gramini, *cuſtode remoto*, hoc eſt, fideli ac rerum harum perito Præceptore, committerem. Vidi alios imberbes æqué, qui equis hiſce gaudebant, ac recens illud ſcriptorum genus percurſitabant, ſed ephippio excuſſi ſurgere amplius, ac certo ſubſiſtere pede vix valebant.

Uno verbo, quod ſummæ authoritatis Medicos quosdam ac *Profeſſores* ſummopere doluiſſe ſcio, confunduntur Juvenum ingenia laſciviente illâ ſcriptorum novitate, deficiunt prorſus ab antiquâ illâ eruditione, quâ Medici quondam Græcis ac Latinis literis probè exculti excelluere, antiquam enim lectionem reſpuunt omnem, in cujus locum quid ſubſtituant, neſciunt ipſimet. Riſum meretur, quod obſervaſſe me celebri aliquâ in academia memini; ſelecti ibi aliquot Juvenes à muſtei non minus cujusdam Doctoris *fermentante & archæiſante* pendebant ore, ex collegio autem ejus reduces facti cum interrogarentur de hujus vel illius affectus cauſis, quid regerere deberent certi ſolidique, ignorabant omnes; dubij non minus inter duella, ac neſcio quas digladiationes, alij *ſucci pancreatici*, & *bilis*, *Archæi* alij, & *lymphæ*; mox *acidi* & *alkali* hærebant; jam *fermentatione* efferveſcebant, jam *præcipitatione* & lapſu ruebant graviore; cognovi autem Magiſtrum ipſum non minus fluctuâſſe opinionum illarum commentis.

Operæ pretium itaque futurum eſſe, ipſemet fui perſuaſus, alij hoc mecum expetiere votis, ut novo aliquo ſyſtemate

Sennerti

Sennerti methodum ſecutus aliquis omnem illam doctrinam novam expenderet. Sed in hunc usque diem, ut diximus, quantum ego quidem ſcio, non inventus eſt ullus, qui laborem hunc ſuſceperit. Atque ejus quidem rei non deeſſe arbitror cauſas; ſunt enim nonnulli, qui quanquam ferendo huic oneri humeris ſufficerent ſuis, aliis tamen occupati tenentur negotiis, moleſto præſertim illo vitæ genere, quod oſtiatim diſcurrere cogitur, ac *diei*, qui hiſce impendi poſſet, *excidere*. Alij utut in publica luce ſint conſtituti, titulis aucti & honoribus, dicto illi oneri impares videntur, in *Anatomicis* ſimul ac *Chymicis*, quæ neceſſariò ad negotium hocce requiruntur, non eruditi æque principiis. Nemini hac in parte quicquam detraho, nullius officio feneſtellis, nec volo, ut quicquam laudis in me hinc vergat, ſcio tamen probè quid ſcribam, à frequenti, quod cum potioribus artis noſtræ ac magnis etiam nominibus habui, commercio eorum certior factus. Alij denique, præſertim ij, quos grandior ætas *Galeno*, ac veterum autoritati mancipatos adhuc tenet, ea omnia quæ nova ſunt, nauſeabundo averſantur ſtomacho; non legunt ea, & ſi legerent, forſitan non intelligerent, nec adeoque pretium illis ponunt, nedum ut dicto illi labori adhibeant manus.

Hæc cùm ita ſe habeant, hoc ego laboris in me ſuſcipere, arduam illam verſare molem, utut periculoſæ plenum opus aleæ, ante annos aliquot occœpi. Periculi plenum negotium eſſe omnino fateri cogor, quod enim omnium maximum eſt, non video, quo me defendam ſub umbone adverſus malevolos obtrectatores, qui imparem fore me multis paraſangis dicent *Atlantem* ferendo cœlo tantæ molis. Sed & hoc unicum eſſe arbitror, quo me cenſores illi impetent; nam inſtitutum ipſum ſequiore virgulâ notare non poterunt, niſi frontem

exuant

exuant omnem, artis incrementis *immania*, ut hæc *Silij* meã faciam, objicere velint *membra*; nec aëra ferire me dicent, aut cum larvis contendere, & inutilibus perdere tempus; neque enim illa, quæ graviſſimorum virorum ſunt, *res nihili* cenſeri debent, cerebri luxuriantis commenta, *eburneaq́;* ſomnia *portæ*; aut ſi hoc aſſerere lubido illis erit, jam non mihi vim inferent, ſed viris illis magni nominis, quorum ea ſunt, quæ expendenda ſumo. Sanè ſatius eſſe arbitror, vel *in humorem triumviralem* inquirere, vel *ſpirituum* videre *exploſiones*, quàm *Sanctorij phantaſiam* & *inanes ſpeculationes*, ita eas vocat *Sennertus* noſter, ſectari, & 80084 *humorum miſturas ac ſyzygias poſſibiles* conſtituere, aut cum *Herophilo* tot *pulſuum diſtinctiones* ejusdem prorſus farinæ excogitare, *caprizantes, undantes &c.*

Ad prius illud, quo me dixi tangi præ reliquis, ut regeram multa, haut opus eſſe arbitror, cum nec alios latere ſciam, non heri me demum aut nudius tertius Medicorum limina ſalutaſſe, aut ab ingreſſu in Academias veluti à matre adhuc rubere; exacti potius ſunt plus quam decem anni, ex quo non interrupto quaſi filo ſtudiis harum rerum ſum operatus, ac arti, *diſcendo, docendoq́;* & verſatum me in his eſſe ac ſufficere labori, exacti judicij cenſent viri, ſummæque autoritatis, qui me & profectus meos in arte perſpectos habent, exploratosque. Si à laudatis laudarier vera demum laus eſt, quàm benevolè de hac operâ meâ ſenſerit b. m. *Rolfincius*, adſcribi meretur. Ita verò ille in literis ad me datis: Inſtitutum tuum laude digniſſimum eſt ac ei ſufficiunt vires tuæ! *Anatomen quippe microcoſmi magna pertractaſti induſtriâ, intimiores ejus luſtraſti receſſus, inque eo totus fuiſti, ut nova inventa vaſorum ſanguifluorum & ſuccum à ſanguine diverſum vehentium lacteum & lymphaticum ad cognitionem morborum applicares. Acorum doctrina quo ſit habenda pretio ad unguem tenes,*

quidve de generatione morborum à triumvirali humore acido, pancreatico, ſalſo, bilioſo atque pituitâ tenui ac horum confluxu orta efferveſcentiâ ſtatui debeat. Quales acidi ſint effectus, dum cum alkali illud concurrit, & quæ Chymiæ principia ſint, probè perſpectum habes. Sic itaque magnos à tuis artis incrementa progreſſus expectant lucubrationibus. Perge juventutem privatis & publicis tibi tandem oppignorare officiis, eosq́, quos in avia traxere ignorantiæ vexilla, in rectam deducere ſemitam. Omninò tale opus expectat orbis, ut inter tot & tàm diverſas Autorum opiniones, certi quidquod amplectatur, habeat juventus; Cœleſtes te circumdent benedictiones &c. Hæc ille, qui ſuo tempore Antiſtes Artis erat. Sed eſto ab annis demum ac rerum uſu, *venturi* adhuc *ævi diligentiâ*, quæ *Senecæ* ita audit, robur accedere debere operi; hoc verò eſt quod intendo, neque enim propterea integrum opus, utut elaboratum jamjam, quodq́ue in manibus aliorum etiam eſt, committo typis, ſed limam ei multorum adhuc annorum, ſi eos ſuffecerit divina benignitas, (*irrorabit* autem *illa, quæ creſcitura vult*) addere volo; mordere ungues, ut tandem aliquando togâ experientiæ exornatum magis magisq́ue, ac maturum annis ſuis in forum prodeat; jam ejus ac naſcentis quaſi incunabula ſaltem monſtro, meliorum mitto prodromos. Non vanâ me gloriæ ambitione trahi profiteor, nec magnam adeo ex hoc opere affectare laudem, quam alius & moræ impatiens præcoci operis editione anteverteret; ſicq́ue perinde mihi erit, ſi ſeris demum cum annis lucem illud aſpiciat, vel etiam poſt fata, aut ſi his omnibus præripi quaſi continget; ecquid enim humani à me alienum eſt? ac veluti in herba ſuffocari conatus hoſce, ſufficiet voluiſſe me, viam commonſtrâſſe aliis, ac tradidiſſe lampada; illi intereà, quibuscum integrum opus *Anatomes, Chymiæ philoſophicæ, totius praxis* commune facere volui, hoc inde habebunt

bunt emolumenti, ut decurſu annorum illorum, quibus defi-xum adhuc hæret pluteis, abſconditumve tenebris, in uſus illud ſuos convertere poſſint; ac naſcentis demum arboris præoccupare quaſi fructus.

Quodnam inſtitutum meum ſit, ex dictis hucusque ſatis ſuperque notum erit, (ſic namque non inglorius decedere cupio, nec defodere inutilis talenta qualiacunque conceſſa mihi!) jam reliquum pertexo.

Nolo autem dicere ea, quæ dicta ſunt ab aliis, ac inutili repetitione, tædioque lectorem afficere, quod hodiè, & exſcribendi alios, ut *Mozambana* habet, *conſuetudo in legem abiit*; hinc namque verè ſuborta eſt artis prolixitas, quia e. g. ducenti illi autores, quorum in *præfatione tract:* ſui de *febribus* mentionem facit *Helmontius*, quod opera illorum de febribus evolverit, & ad *unum omnes cantum cuculi ceciniſſe* deprehenderit, deceſſorum rhapſodias compilare non dubitârunt; vel nova adfero non viſa unquam apud alios, vel quæ dicta ab aliis extant, ac neceſſariò adduci debent, breviter ac in nucleo veluti, brevitati enim, quantum ejus fieri poteſt, ſtudeo, trado; ſicque & hæc mea ſunt! Sed jam rem ipſam accedo.

Pars prima deberet equidem receptâ communi methodo, *Phyſiologiam* tradere, ſed hic ſtatim ac ſub ingreſſum delineationis non poſſum non, quin moneam, nonnulla adſcribi hodiè Medicinæ, quæ tamen ejus juris non ſunt. Si præternaturalem illa ſtatum, morboſq; conſiderat, quid negotij illi eſt cum *Anatome*, quæ tota ad *Phyſicam* ſpectat, ſiquidem corpus humanum verè naturale, ac quà tale pro objecto habet, vel habere debet. Miror profectò introductas in ſcholas eſſe diſtinctiones illas *Anatomes*, *Phyſiologiæ*, & *Anthropologiæ*: *Anatome* partes tradit ac earum ſectiones; Phyſiologia de *uſu partium ac Oecono-*

mia animali videt, *Anthropologia* verò, quam ſic dicti *Phyſici* ſibi ſumunt, utrumque quidem expendit, ſed ſine ulla ſectione; ita namque *Sperlingius* in *proœmio* ſuæ *Anthropologiæ* dicit: *Exerceant ſe illi,* Anatomicos intelligit, *in ſectionibus maſculè, nobis ſufficit ſpeculari &c.* & hoc eſt *perforare aſſerem ſine terebrâ,* ac pocula, quæ miſcuerunt alij, ebibere; aliorum ſe ornare plumis, prout *Sperlingius* ille à *Laurentij* Anatomia recens veluti à nido prodiit. Sic ea, quæ ipſa natura jungit, partes ſc. earundemque uſum, disjungit ejus miniſter, & ſine mediis, quæ inſtrumenta cognitionis ſunt, ad finem tendere datum eſt! *Phyſiologiam* jure merito ad præcognita refert in *manuali medicinæ Cl. Horſtius,* & hæc eſt præcipuè pars illa *Phyſices,* cum quâ, *dum deſinit Phyſicus, tunc incipit Medicus.*

Adeoque omnem doctrinam hanc refero ad *Phyſicam,* in qua quomodo eam tractaturus ſim, propediem, *prodromo Philoſophiæ* (auguſtum hoc nomen meliori ejus parti, quæ de naturâ eſt, jure merito competit) *Naturalis* edocebo. *Ortum Medicinæ* inſcribit opus ſuum *Helmontius,* quia initia naturalia præmittit, id quod & ego non minus facturus ſum. Et tunc quidem dabitur occaſio ratione partium, quæ *conſtitutivæ mixtorum* ſunt, ratione *generationis, nutritionis, & corruptionis, Spirituum*, qui, ut *Poëta* habet, *corpoream molem intus alunt*; ratione formarum *de luce Spirituum, flammula vitali, luce ſubſtantiali,* quæ *anima* eſt &c. omne illud pertractandi, quod alioquin ad *Anatomen* ſpectat, nec à quopiam traditum omni ex parte occurrit, ſic in doctrina de *fermentatione* ea videbuntur, quæ *fermenta* digeſtionum in corpore noſtro concernunt; de *putrefactione* dicetur, qualis illa excrementorum in corpore ſit, &c.

Sed & hac in parte dici debet, quid novi feram? Quanquam verò longioris temporis induſtriâ novi quidpiam tradere,

& mihi

& mihi licitum eſſe poſſit, nihil quicquam tamen vel mihi vel aliis hac de re promitto, ne videar nimium mihi tribuere, & gloriolam affectare; ſufficiet, omnia me ea conjunctim, ac uno opere exhibuiſſe, quæ ad integrum non minus partis hujus ſcientiæ naturalis ſpectant Syſtema quaſi, quæve in hunc usque diem in Anatomicis prodiêre.

Sic agetur *de jure Duumviratus Helmontij, humore triumvirali Sylvij, Succo pancreatico, Lympha, Saliva omnis generis, arteriâ bronchiali, ductibus Salivalibus externis & internis, de cauſis oſcitationis, de inſomniis, apparentiis in unguibus. De Phantaſia, conſcientia &c.* quas & ultimas quidem materias vulgò negligunt Anatomiæ Scriptores. Sed, ut dixi, ulterior inſtituti ratio ex dicto illo *Philoſophiæ* meæ *prodromo* melius innoteſcet.

Præmiſſis itaque illis, quæ totius Medicinæ fundamenta ſunt, ad *ortum* ejus, quem cum *Helmontio* ita vocavimus, ſpectant, ipſam *artem medicam* accedimus. Agit itaque ejus

PARS PRIMA,
PATHOLOGIA
De Morbis eorundemque Cauſis.

IN hâc parte ut & reliquâ Medicinâ à communi methodo Syſtematum omninò divortium aliquod fieri debuit, quia ſcilicet ad oculum patet, multa communiter inutiliter tradi, ac tædiosâ repetitione, quod ſummoperè dolendum eſt, artis prolixitatem, addo & difficultatem immanè quantum augeri. *A Galeno medendi* aliqua *methodus*, quam *divinum inventum, ſecretum ſecretorum ſecretiſſimum Scherbius, Hoffmannus, Patinus* aliiq; vocant, inventa fuit, quâ ipsâ ſumma morborum genera, ac *univer-*

univerſalia, quæ ita appellamus, traduntur. Inſtitutum hocce non nego omni laude digniſſimum eſſe, ſed doleo Methodi ſectatores vel illâ ipsâ ſuâ ſemitâ excidere indies ac in neſcio quas prolixitatis & inutilis repetitionis, quam jam notavimus, incidere ambages. *Praxin* noſtram, dicit *Sennertus*, *Univerſalium ad Specialia applicationem* eſſe; cur ergò univerſalibus non ſtatim ſubjunguntur ſpecialia, cur traduntur ea ceu nova; licet nec cauſis, nec curatione varient? ratione ſaltem ſubjecti, à quo tamen differentiæ nihil quicquam eſſentialis eſt, pauca prætereo alia, quorum mentionem faciam *in ſeqq.* diſtincti quid habent. Ipſe *Sennertus* dum in genuinam medicinæ Methodum inquirit *in præfatione primi Tomi praxis ſuæ* innuit, in methodo illa, quæ *particularium eſt*, de *morbis capitis, thoracis &c.* quam antiquiores ſecuti ſunt, *multa inutiliter repeti, generalibus autem methodis deſtitutos fluctuare contendit*; ipſemet tamen, quod jam innui, quamvis *generales* illas *methodos* conſtituiſſe ſibi viſus eſt, in particularibus inutilem repetitionem illam evitare vix valuit. Requirit omninò, & rectè quidem, generalem doctrinam cuilibet parti in ſpecie eſſe applicandam, cùm *inflammatio*, exemplum hoc adducit, *pedis* non æquè curetur, ac *inflammatio oculi*, ſed licet occurrat quædam varietas deſumpta à partibus, non obſtat tamen illa, quò minus generalibus ſtatim ſubjungantur ſpecialia.

Contrà hanc verò methodum noſtram dubium ex ipſo *Sennerto cit. loc.* poſſit moveri, annon, dum ſpecies illæ ſuis ſtatim generibus ſubjunguntur, aliqua inde perplexitas oriatur, ac confuſio morborum? concedimus hocce, ſi genera illa nimis ſint generalia, remotaque prout quidem refert *Sennertus* nonnullos; inter illos *Friſimelicæ* ſummi *Patavij* quondam Medici ex *Montagnanâ* mentionem facit, ad tria illa, quæ *generaliſſima* quaſi ſunt,

ſunt, *morbum, morbi cauſam ac ſymptoma* affectus retuliſſe omnes; diverſitas omnium ſymptomatum, diverſa itidem cauſa anguſtiam illam non patitur, ſed ſi *proxima*, id quod à nobis factum eſt, conſtituantur *genera*, tantum abeſt, ut inde perplexitatis aliquid ſuboriatur, ut potius ſubordinatis ſpeciebus naturali ſuâ ſerie veluti in tabulâ exhibeantur affectus omnes, quorum accuratam ac diſtinctam ſecundùm *Sennerti in cit. loc.* monitum omninò habere debet cognitionem futurus Medicus. Hæc ita ex *Sennerto* dicta ſunto, qui reipsâ commotus inutilem illam repetitionem fateri exemplo quaſi cogitur, quando *lib. 3. de inflammatione ventriculi* dicit, prolixè nonnullos *de cauſis inflammationis hujus agere, verùm eſſe pleraque ea generalia, quæ omnibus inflammationibus in quacunque parte conveniunt. Hæc ille.* Quot præterea, quanta alia de cauſis antecedentibus, *aëre, temperamento, de purgantibus, alexipharmacis &c.* non ter quaterve, ſed vel ſexcenties in ipſo etiam *Sennerto*, licet generalia ſint, repetita occurrunt. Introductæ ſunt *Inſtitutiones*, quod inſtitutum ſatis bonum eſſe non nego; fundamenta enim Tyronibus tradi debent, ſed cur eadem ferè à *Sennerto* de cauſis ac ſignis morborum tradita jam in *Inſtitutionibus* repetuntur in *praxi?* De *Symptomatibus* diſtinctè peculiari ſectione agit *Sennertus*, & diſtinctam iterum partem habet de *eorundem cauſis*, hæc adeoque meliùs conjungit in ſuis *inſtitutionibus Mœbius. Signa Symptomata* ſunt, dicit *Hoffmannus*, atque ſic *Semiotica continuata* quaſi *Pathologia* eſt.

Non nego in morbis particularibus ſpeciale aliquid, quod ratione curationis etiam obſervari debet, occurrere, ſed perpaucum hoc eſt, nec meretur, ut tædioſa illa generalium mille vicibus iterata fiat repetitio. *Theſſalo Tralliano* dicam ſcribunt omnes, quod ſex menſium ſpatio artem omnem tradi poſſe ſtatuerit, nemo tamen rationem aſſerti perſpicit. Eo tempore

non

non excolebatur adeò *Anatome*; de Chymiâ nihil ſciebatur, ſaltem hæc non addiſcebantur, ac *Methodici* illi tunc præterea breviſſimam habebant *methodum*, quâ morbos omnes ad duo quaſi genera, *laxum* & *ſtrictum*, quæ & nos retinemus, referebant. Quidni hæc ſex menſium ſpatio addiſci poſſent? Immortali honori *Cl. Sylvij* ſcribitur, quod omnem *medendi methodum* 7. lectionibus Auditoribus ſuis tradiderit. Fidem ego facio, me hâc methodo meâ, cujus hîc quidem ſummas ſaltem duco lineas, non exprimo penitùs, ne quod meum eſt, citiùs quàm par eſt, aliis in uſum cedat, idque in *ſpecialiſſima particularium ad univerſalia ac dicta ſumma genera applicatione* conſiſtit; fidem, inquam, facio, me non intra ſex menſes, ſed tot hebdomadas medicinam alicui traditurum eſſe, modò ille cognitione Anatomes & aliquali Chymiæ ſit inſtructus; ſed & hæc fundamenta brevi temporis ſpatio poſſunt comparari. Fidem hanc facio non *ſtentoriâ* aliquâ ductus oſtentatione, ſed re ipsâ ac fundamentô ejus ſubnixus, idque eâ ſinceritate, quæ virum literatum ac Doctorem decet; & hactenus nemini mortalium methodi hujus rationes omni ex parte expoſitas eſſe volui!

Alterum quod ad hanc methodum meam ſpectat, ac in anteceſſum notari debet, eſt communis error ille, quem committunt autores in conſtituendis morborum ſubjectis. Cur ergò *hydrops* vel ad infimum ſpectat ventrem, vel ſymptoma etiam hepatis eſt? cùm in omnibus partibus, vel in *digito*, ut exemplum habet *Tulpius*, oriatur; cùm quod infinitis hodiè probatum exſtat exemplis, etiam non affecto vel minimùm hepate, viſus ſit Aſcitis, & potius cauſam ejus lieni, quàm hepati adſcribere videtur *Sennertus*. Sanè ac potiori jure *melancholiæ* illi, quæ *hypochondriaca* dicitur, inter lienis affectus locum tribuit, *Helmontium* ſuum ſecutus *Grembſius*. *Epilepſia* porrò &

Apoplexia nonne potius totius corporis affectus dici debent, & *ſpaſmus* cur refertur ad cerebrum, qui haut rarò in ultimo pede eſt? forſitan quia in affectibus hiſce primariò cerebrum afficitur, aut cauſa ibi hæret! Ecquis verò ex modernis credet cerebri ventriculos e. g. in *apoplexia* pituitâ oppleri, cum contrarium vel in ipſos ſenſus incurrat. Ergone vapores primùm ad cerebrum, deinde in ultimum usque pedem abibunt, ut vellicando ibi nervos faciant ſpaſmos? reſectis verò nervis partem, quam ingrediuntur illi, reſectis arteriis etiam, experimenta hæc ſunt nunquam ſatis laudati *Stenonis*, convelli certum eſt; etiam ex antiquioribus *Joubertus* non affectis nervis convulſiones fieri egregiè demonſtravit.

Sanè dici non poteſt, nec egeri dolor ille, quem imo propterea conceptum quivis habere debet pectore, quantum remoræ ſtudiis artis ac Tyronum profectibus prolixitate illâ, quam paulò ante accuſavi, fuerit injectum, ut multos noverim, quinque, imò ſex annos ſolâ *Sennerti* lectione inſumpſiſſe, & poſſum ad oculum demonſtrare operum omnium *Sennerti* (cujus alioquin cineres ſanctiſſimè colo!) tres ad minimum partes jam anteà dictorum repetitionem eſſe, id quod propter methodi antiquioris rationes evitari non potuit.

Adeoque ut malo huic medelam quæram, dum curæ habeo integrum artis ſyſtema reſectis ſuperfluis illis adornare, ſpecies ſc. ad ſua genera referre protinus, atque ea omnia tradere, quæ à primis ſeculis in hunc usque diem de Medicinâ evulgata typis ſunt, *ſequentem methodum* teneo, quam ſc. commonſtrat ipſe inventionis artis ordo, quo ſibi Medicorum placita quaſi ſucceſsère.

Primò *de quocunque affectu veterum doctrinam ex ipſo potiſſimum* Sennerto *trado, eandemq́; examino. Cum* Sennerto, *quippè*

cui aram ponimus omnes, quæ æternaturæ memoriæ eſt, mihi res non erit, ſed Veterum doctrinam in Sennerto *expendam unicè, & cum inter illos etiam diverſæ occurrant opiniones, quas colligere* Aggregatoris *fuit munus, & conciliare ſumpſit ſibi* Conciliator Aponenſis, *quem alius aliquis* cribrare, *ſic enim illud vocat, non dubitavit; videndum, ecquid tantis nominibus dignum inter illos occurrat.*

Secundò, *cùm eruditiſſimus* Hoffmannus contra Inſtitutioniſtas, *quos ita vocat, ipſum etiam* Sennertum *noſtrum, vel ipsô, quod de ſe haud obſcurè, epigrammate* ſc: *quod* Inſtitutionibus *additum eſt habet ipſemet,* dictante Phœbo *ſcribere ſibi viſus ſit, & errores ſcriptorum Inſtitutionum tantùm non tragicâ voce accuſaverit; usque adeò ut à nomine ejus nova quaſi ſecta deducta tunc viſa fuerit, operæ pretium erit, expendere etiam illa, quæ à viro illo laudatiſſimo contra communem Medicorum doctrinam tanto zelo dicta exiſtunt.*

Tertiò, *ad Paracelſum & aſſeclas ejus pergo, ac quoad morborum cauſas inconſtantiam eorum, ſequutus* Sennertum, Helmontium, *aliosq́; redarguo.* Severinum, *cum ille præ reliquis aliquod conſtantiæ præ ſe ferre videatur, expendendum mihi præcipuè ſumo. Hùc refero illos* Jatromathematicos, *qui ſemina morborum ex cœlo deducunt &c.*

Quartò, *cùm nonnulli fuerint, inter quos quadantenus etiam* Sennertus *eſt, & præcipuè* Petræus, (*in gratiam hic Collegarum ſuorum, Galenici alterius, alterius Chymici hoc operis ſuſcepit, id quod* ex præfat: operis Noſologiæ ejus patet) *qui* conciliationem *inter* Paracelſi *doctrinam &* veterum, *prout pacem inter* Methodicos & Paracelſiſtas *edidit* Vega, *inſtituere voluerunt, ideò & de eâ videndum brevibus eſt.*

Quintò, Helmontij *doctrinam propono, ac cum ille* principium vitale *in morbis omnibus jure meritoq́; ſupponat, illas* Hippocraticas *etiam* facultates, acidum, acre &c. *explicat, ideò in multis cum eo facio, non partium ſtudiô, quod alieniſſimum à me eſſe iterum iterumq́;*

ac ſan-

ac ſanctiſſimè teſtor, ſed unicè veritatis amore ductus. Haut raro & quod principia potiſſimum Anatomica recentiorum concernit (innui hoc jam in ſuperioribus) ab eo etiam recedo; ſic veritati unicè litandum eſt!

Sextò. *Recentiorum omnium, qui hucusque prodiere, Clariſſimorum Virorum* Williſij, Sylvij, Barbette, *dogmata, quæve ab aliis, ex principiis* Harvæanis, Gaſſendi, Cartheſij &c. *dicta ſunt*, ſubjungo.

Singula quod vel primâ paginæ fronte promitto, ex principiis Anatomico-Chymicis examino, in iis normam omnem veritatis conſiſtere ratus (expectabimus quid Anatome ſua practica laudatus à *Bartholino Bonetus* orbi præſtiturus ſit!) adeoque quæ laudem merentur, illis ipſis reſpondent principiis, calculis omnibus approbo, quæ verò videntur recedere à normâ hâc, jure merito, eâ tamen, quâ decet modeſtiâ, notare debeo, nullibi vel minimâ me indignatione abripi patior, aut duriuſculum verbum calamo excidere.

Atque hoc quidem in laudem Clariſſimorum Virorum illorum vel maximè cedet, nonnulla ab illis eſſe tradita (quanquam inſtitutum eorum non ſit, veterum doctrinam examinare, ſed ſuam potius ac unicè ferè tradere!) quæ veterum doctrinam illam erroris arguunt, pleraque ex dictis paulò ante principiis explicant. Quanquam recentiorum plerorumque, (tale quid forſitan præſtitiſſet *Jonſtonius*, *Vir* Cl. in *Syntagmate parallelo*, quod orbi promiſit in *Præfat. idea Prax:* hæc cùm nunc ſub nomine *Praxeos* aucta ac reviſa prodierit, nec *Paralleli Syntagmatis* mentio fiat amplius, procul dubio illud elaboratum non erit) eò vergat labor, ut omnium veterum ac recentiorum dogmata, utut diversâ ſibi haut raro contrarientur fronte, concilient. *Diverſas modernorum, omnesque adferunt ſententias, quando verò decidendum eſt, ſicco omnia tranſeunt pede;* Non ſufficit dixiſſe:

recentiorum dogmata veterum doctrinam illuſtrare, explicare, ſed demonſtrandum etiam eſt, quâ ratione illud fiat, in quo ſingula conveniant.

Adeoque & Septimò, *quæ modernorum hæc conciliatio ſit, veterum ac recentiorum doctrinæ, videndum ſeriò eſt, ut certi tandem quid habeamus.*

Octavò *denique concludo, meamq́; adfero de cujuscunque morbi cauſa ſententiam, conformem dictis illis principiis; haut rarò repeto præmiſſam à prioribus autoribus, ubi veram eam deprehendo, aliam nonnunquam ac novam adfero.*

Ea omnia verò me exhibuiſſe in tabulâ veluti; ſuperaddidiſſe ea, quæ deeſſe viſa ſunt; prælibâſſe nucleum tot ſcriptorum; novum *Locorum communium* opus, *Sennertum Novum* operæ pretium erit adornâſſe, ac literato obtuliſſe orbi, in laudem, quam tamen non æquè ambio, non minus verget.

Sed jam ipſam primæ hujus partis delineationem adfero, in anteceſſum tamen traduntur

PROLEGOMENA.

Illa de *Origine, Sectis Medicinæ &c.* quæ hiſtoricè dici poſſunt, habent. Atque *integram* quidem *Medicinæ hiſtoriam de ortu ac progreſſu ejus ad hæc usque tempora elaboratam jam habeo; præliminarem* etiam *diſſertationem hancce, quæ ſeriem totius operis ac inſtituti rationes* ante oculos ponit, repetere tùm neceſſe erit, agmenq́; προλεγομενῶν claudent ea, quæ de *ſubjecto, fine artis* hujus, receptâ in ſcholis Methodô dici ſolent; eſtq́ue hic *Æſculapij Porticus,* quem ita vocat *Laurembergius,* ſicque ſequitur

PARS

PARS PRIMA
ac
PATHOLOGIA.

De Morbis eorundemque Cauſis.

SECTIO PRIMA.

DE Morbis, ſubjecto, differentiis, ac cauſis eorum in genere.

De Morbis, natura eorum, differentiis, de intemperiebus totâ ſubſtantiâ, morbis Archæalibus, morborum productis, cauſis denique in genere, ſubjecto, cavitate Hippocratis *in abdomine &c. de rebus toto genere p. n. &c.*

De divino in morbis Hippocratis.

De vitali principio, Archæo ſeu impetum faciente, fermentis & fermentatione, Ideis, illarum geneſi ac evolutione, venenis intus natis &c.

De Humoribus ex veterum doctrinâ, melancholiâ, bile, pituitâ, eorumq; generibus Cacochymiâ ac Plethorâ; de motu humorum ſecundum veteres, tridui e. g. bilis &c.

De humoribus ex recentiorum ſententiâ, latice & lympha, ſucco nervoſo, pancreatico, humore triumvirali Sylvij, *motuq; horum &c. Huc ſpectant relicta in privatis digeſtionum officinis, quæ excrementa topica aliis &* Helmontio Relicta *audiunt, Transmiſſa itidem & Transmutata* ejusdem, *& quæ de horum omnium particulis, ſeu figuris ex mente* Carteſij, *itemque de molleculis* Gaſſendi, *rarefactione & condenſatione* Verulamij &c. *poſſunt dici.*

De tribus principiis Paracelſi, *analogiâ Macrocoſmi, & Microcoſmi, Tartaro, Aſtris fictitiis, ſeminibus ac eorum transplantatione &c. Huc refero etiam Diabolos, Spiritusve, quos nuper* monſtroſè Koſackius *inter morborum cauſas retulit.*

De

De Potentiis Hippocraticis, acido, acri, amaro, ſalſo, & ſexcentis aliis, ac ſolutione eorum in corpore.

De qualitatibus relollaceis, ac intemperiebus tam nudis ſeu immaterialibus, quàm cum materia ſeu humoribus ſpectatis.

De cauſis morborum occaſionalibus, aëre, aqua & locis Hippocratis ; *rebus naturalibus, temperamento, ætate &c. non naturalibus cibo & potu &c. & præternaturalibus ſecundùm* Galenum, *ipſisq; morbis antecedentibus. Hâc occaſione de aſtris, morborum cauſis ſecundum* Paracelſum *ac Mathematicos, de Inſpiratis, Endemicis, Ingeſtis, torturâ noctis, Heteroclitis* Helmontij *&c. agitur, ut quomodo hæc coincidant, quâ ratione differant, palàm fiat.*

De differentiis morborum accidentalibus, ratione ſc. ætatis, temperamenti &c. de Idiopathia & Sympathia, Endemicis & Epidemicis, eorundemq; cauſis. Huc referri debent morbi tempora, Paroxyſmi, ac Typi, recidivæ denique, & horum omnium cauſæ.

Hæc fuit *Sectio prima,* ac doctrina generalis, jam & in *Sectione ſecundâ,* ſumma incipio methodo meâ conſtituere mormorum genera, claſſesque, ad quas ſpecies ſubordinato ſtatim refero labore : ſicque agit.

SECTIO SECUNDA,

De Morbis communibus ſeu Univerſalibus.

H*ic juxta Hippocraticam partium diſtinctionem, quæ eſt in contentas, continentes, ac impetum faciens,* morbos omnes pertracto, rationem methodi hujus, quam approbat *Helmontius,* ſequutus autem non eſt, in ipſo tunc opere aſſertam dabo argumentis omnibus. Sicque ab *impetum faciente* ac morbis ejus ordior. Quanquam verò illud ac *principium vitale* in morbis omnibus ſupponi debeat, in his tamen affe-

ctibus

ctibus ſolùm & præcipuè videntur pati *Spiritus.* Sicque ſpectantur illi ceu

1. *Alterati, dum ſenſus læditur præcipuè in quacunque triſti ſenſatione, ſolutione continui in fieri ſecundum veteres, dolore ſcilicet, hinc de hemicraniâ, clavo, odontalgiâ, dolore oculorum, cardialgia agitur &c. Specialiter huc ſpectat dolor in* Arthritide, Podagra &c.

Vel 2. *quatenus alterantur ratione motus, ac influi præcipuè cum* thymoſi, *ſeu qualitatum exceſſibus, frigore, calore ſc. in febribus. Atque ſic quidem huc ſpectat* doctrina *de febribus*, ſuntque illi principium *ferè ac finis morborum omnium, vis ſine febre mori? quærit Lotichius. Hinc doctrinam hancce ſummo ſtudio pertractabo, incipiendo ab intermittentibus, ubi de cauſis periodorum, typorumve, foco putredinis ſecundùm* Galenum, *accenſione & deflagratione Nitri ſecundùm* Paracelſum, *deflagratione ſanguinis ſecundùm* Williſium *&c. agetur, pergendo ad continuas, hecticasve, Malignas, morbillos, variolas, purpureas omnis generis, miliares* Lipſienſium, *Caſtrenſes &c. ipſum deniq;* morborum morbum, *qui* Helmontio *ita audit, peſtem ſc. bubones &c.*

Vitale ubique principium inculco, re ipſa unicè commotus; neque enim in cadavere morbus eſt, utut cauſa ejus ſuperſit, & ab hoc principio prout omnis motus, ſanitas, ac vita, ita (contrariorum eadem ubique ratio eſt) morbus quoque dependet, ac mors ipſa. Punctum hocce præ reliquis neglectum eſt in Scholis, hinc *facultatum* vana introducta ſunt nomina &c.

Vel 3. *alterantur Spiritus ac inſiti præcipuè* cum exceſſu in motu, qua tali, *ſine ſcilicet Blas ac ſui alteratione, quæ in qua-*

litatibus

ſtatibus eſt, in convulſionibus ſc. hinc de epilepſia, ſpaſmo, ſpaſmo Cynico &c. convulſione ſtomachi, palpitatione Cordis & ſingultu (omninò hi affectus ad convulſiones ſpectant, quod prolixè ſuo tempore probabitur, nec immeritò ſecundùm *Williſium* etiam *Aſthmatis Convulſiones* huc referri poſſent) *agitur.*

Sanè hoc punctum unicum ferè ac præcipuum eſt, ad quod vel priora duo poſſent referri, dolor enim ecquid aliud, quàm quaſi quædam convulſio eſt? *ex dolore colico paræſin* habemus, *vomitus à nephritide* eſt, & *rigores febriles* pari ratione *ſpaſmodes* poſſunt vocari. Ut tamen confuſionem affectuum, quam ex *Sennerto* ſupra notavi, evitarem, diſtincta illa genera ponere conſultum viſum fuit.

4. *& in contrarium alterantur Spiritus vel ratione ſenſus & motus ſimul, dum deficiunt, obſtupeſcunt, ac ſyderantur in ſic dictis morbis ſoporoſis, apoplexia, Lethargo, Caro, Comate &c.*

5. *læduntur Spiritus, ut ceſſet motus ſupermanente ſenſu, & vice verſâ, hinc de paralyſi, ſtupore &c.*

Hîc poſſent ſic dicti morbi partium ſimilarium ſeu *intemperies* conſiderari, ceu morbi, ut cauſas illas vidimus in *Sectione primâ*, quia ſcilicet ſpiritus & calor connexa ſunt, ſequitur deficientibus ſpiritibus adeſſe frigus, abundantibus illis aut excitatis, calorem poni, &c. ſed cum hoc factum jam ſit in *Sect. 1.* ratione qualitatum, quas ibi videre debuimus, coacti à veteribus, ideò hîc non eſt, quod eorum repetitio fiat; referimus etiam ſpirituum defectum ad cor ceu fontem eorum in *Sect: ſeqq.*

Eſt equidem & alia ſpirituum alteratio cum furore in deliriis variis, in maniâ, phrenitide &c. ſed cùm in iis perturbationibus ſimul functio propria, ac præcipuè lædatur ratiocinatio, &

tio, & communiter ac rectè quidem actiones illæ animales cerebro adſcribantur, niſi cum *Helmontio* ſtatuere velis, *primorum conceptuum* etiam ſedem in *liene* eſſe &c. ideò & cum *ſequenti Sectione* de læſis propriis partium functionibus agere methodi ratio poſtulet, eò hos affectus referimus.

Atque ſic quidem læditur *impetum faciens*; *partes contentæ, ſeu humores*, quæ dignitate illud inſequuntur, lædi ſolent & quidem

in

Fluxu & Obſtructione.

Hîc repeto duo illa *Methodicorum* genera, *laxum & ſtrictum*, ubique verò, quod denuò moneo, ſuppono *principium vitale*, & quanquam in fluxibus ſanguinis potiſſimum ſit affectum revera illud ipſum impetum faciens, nihilominus tamen & proximè ac in effectu hoc patiuntur humores, quin imò nec omnis fluxus eſt ἀϑρόως factus. Ad laxum verò referuntur *fluxus*

1. Sanguinis *in hæmorrhagia varia, narium, ſputo cruento, vomitu ſanguinis, dyſenteria, mictione cruenta, fluxu menſium vario, ac hæmorrhoidum &c.*
2. Seminis *in gonorrhœa, pollutione nocturna &c.*
3. Chyli *& de eiq; fluxu primus ago, ejus attribuo non tantum chyloſum fluxum per alvum, ſed & fluorem album mulierum, gonorrhæam aliquando, Lactisque ſpontaneum effluxum; Lac quippe ex chylo proximè fieri in* Anatomicis *probavimus.*
4. Lymphæ, & hic *præcipuè commune illud Medicorum Idolum* Catarrhus *à* ῥέω *fluo ſic dictus, videri debet, ac integra ejus hiſtoria tradi, hinc de coryza, catarrho ſuffocativo hic agitur. Sed cum etiam* in hydrope, *cujus jam in ſuperioribus mentionem feci, nonniſi fluxus aliquis ſit, ac ejus materia ex Lympha*

conſtet, ideo de eo Aſcite, hydrocephalo &c. ſecundâ *capitis hujus parte omnino agendum venit.*

5. *Ex recentioribus hic* Sylvio *aliisque auctus motus bilis, ſecundùm* Williſium *ſucci nervoſi quadantenus videri poſſet, itemque de transmiſſis & transmutatis* Helmontij *agi*, ſed notandum, hæc omnia aliorum morborum cauſas potiſſimum ſtatui à laudatis Autoribus, hinc ſuis ubique locis explicata illa occurrunt.

6. Salivæ, *in nimia ſalivatione, & ob communem materiam, quæ ex glandulis eſt, in ſpontanea lachrymarum eruptione &c.*

7. Eſculentorum *in lienteria, cœliacâ, &c. hinc de nauſea, vomitu &c.*

8. Potulentorum, *ac urinæ in diabete &c. ſudoris in colliquationibus.*

9. denique Excrementorum *in alvi ſolutionibus, diarrhœâ &c. Stercoris flavi in Ictero &c.*

Hi affectus cùm vitio digeſtionum in propriis partibus fieri videantur, dubium non nemini ſuboriri poſſet, annon æque ad ſectionem ultimam referri debeant, ſed ultra hîc digeſtionis vitium accedit illud, quod motus auctus ſibi habet proprium; imò non læsâ etiam digeſtione poſſunt fieri fluxus illi ex vitio ciborum e. g. Lienteria, & renes non affecti etiam copioſè non mutatæ affluenti urinæ aditum concedunt, unde affectus hi huc omninò referuntur. Dubium tamen hoc eſt maximi momenti, cum partium functiones nonnullæ nonniſi in motu, fluxuque conſiſtant, v. g. renes admittunt & excludunt urinam ; ſed methodi ratio poſtulat inſigne compendium ejus, ut de fluxibus ſimul agatur, & renes laborant etiam vitio alterationis, quæ propria functio eſt.

E contrario & *ſtrictum* Methodicorum reſpicit

Obſtructiones.

Quæ ſpectantur *1. in genere.*

vaſorum, primarum viarum, vaſorum capillarium &c.

2. in ſpecie.

1. Sanguinis in menſium, hæmorrhoidum ſuppreſſione.

2. Seminis, Bilis, Succi pancreatici &c.

De his agendum ſpecialiter eſt, cum plurima occurrant in iis, non viſa nec pertractata ab aliis.

3. Excrementorum

alvi, in ſuppreſſione alvi, Iliaca paſſione &c.

Sic etiam *humores* ſe habent, ex iis verò generantur, quæ *toto genere præter naturam* audiunt, reſpectu ſcilicet noſtri, aliàs naturaliter omninò & illa fiunt, ſuntque

1. Calculi *renum, veſicæ, imò partium omnium.*
2. Vermes, *lumbrici, aſcarides, critones, hincq; de animata putredine agitur.*

Notabis à *Langio, b. m. animatam* illam *putredinem* quidem, inter morborum cauſas plerasque referri, ſed nos demonſtrabimus, vermes ubique eſſe producta corruptionis, atque ſic in *Sectione prima* de *animatis effluviis* ceu cauſis in genere fuit actum, hîc verò videntur vermes quà tales, morbique; quatenus illi aliorum iterum exiſtunt cauſæ, doloris &c. illud ſpecialiter ubique expenditur.

3. Flatus *huc etiam referuntur, quia æquè ſunt producta morborum, ac calculi & vermes, hinc agitur de ructu, rugitu, tympanitide, tinnitu aurium &c.*

Sic etiam ſe habent humores, jam ſequuntur *partes continentes*, illarumq; morbi, qui vulgò *Organici* audiunt, & conſiſtunt

1. *In* vulneribus *capitis &c. Sed huc ſpectant etiam ſolutiones continui omnes, hinc de herniis, uteri, ani procidentia, fiſſuris, dentium mobilitate, luxationibus &c. agitur.*
2. *Sunt* ulcera, *hinc de ambuſtionibus, gangræna, ſphacelo &c.*
3. Tumores ſunt, de *Oedemate &c. ſcirrhis & indurationibus*; de ſolidis tumoribus, *clavo, &c.*
4. *In affectibus cutis, variis maculis, hepaticis, nævis maternis &c.* qui huc referuntur, quia cutem ceu partem continentem afficiunt, &c.

Non negamus in hiſce affectibus ſimul affici humores, nonnunquam etiam impetum faciens, maximè tamen & exceſſivè patitur pars continens, & ſic quidem morbos hoſce *Organicos* ſecundùm Veterum inſtitutum vocare licet, ac hanc eorum claſſem retinere.

Dantur autem morbi, in quibus omninò & exceſſivè partes omnes ſimul læduntur, adeoque de iis quartum quaſi genus conſtituimus, quod continet

1. Inflammationes, *hinc de pleuritide, hepatitide, phrenitide, eryſipelate &c. agitur.*
2. Venena, *hinc de viperis, morſu tarantulæ, cicuta, fumo metallico & arſenicali dicitur &c.*
3. Incantationes, *nam & eæ videntur referri poſſe ad forum medicum* (de iis edidit integrum opus Vierus, *de curatione eorum agit* Carrichterus, ſuntque hi Medici) *hinc de modo operandi in incantationibus, præſervatione & curatione videndum eſt.*

Sic ſe etiam habet *Sectio ſecunda*, quam excipit

SECTIO

SECTIO TERTIA,

De Morbis particularibus, eorumque Cauſis.

IN hâc ſectione, quod in ſuperioribus jam innuimus, propriè reſpicimus *partium* proprias ſic dictas *functiones*, & *Platerum*, *Sylvium*, ipſum etiam *Sennertum* noſtrum, qui in præfatione *libri tertij praxios* egregiè monet, *ſtudium medicum à lectione tertij ſui libri*, ille autem affectus infimi ventris pertractat, *inchoandum* eſſe, ſecutus incipio à ſtomacho, tanquam limine ſanitatis & morborum, & pertinaciter inſiſtimus, quantum ejus fieri poteſt, *ſeriei digeſtionum*, prout ſcilicet illæ ſe inſequuntur, utpote qui ordo etiam naturalis conſtitutionis eſt, ſicque agimus

Ratione *infimi ventris:*

1. *De ſtomachi defectibus, apepſiâ, bulimo, ſodâ, picâ &c.*
2. *Ratione inteſtinorum, de læſa ſecundùm* Sylvium *chyli ſeparatione &c.*
3. *Ratione hepatis, de læſa bilis generatione &c.*

Sic porrò & ratione teſticulorum, de læſa ſeminis generatione, Priapiſmo &c.

Ratione Uteri, de ſterilitate, molâ, ſymptomatibus ante & poſt partum &c.

In medio Ventre:

1. *Ratione pulmonum, de affectibus reſpirationis, aſthmate, orthopnœa.*
2. *Ratione cordis, de læſo ſanguinis motu, læſâ ſpirituum generatione &c.*
3. *De pericardij & glandularum thoracis morbis, ratione ſc. propriarum functionum, quædam omninò monenda occurrunt.*

Ratione denique ſupremi Ventris:

De deliriis, maniâ, memoriæ læſione &c.

Ratione oculorum, de cæcitate, vertigine, quam huc referimus, rationes autem ſuo loco explicatas dabimus, &c.

Ratione aurium, de obauditione, ſurditate.

Sic porrò de læſo olfactu, guſtus depravatione &c.

De his, inquam, omnibus ſuo ordine agetur.

Sic ſe habent Digeſtiones publicæ communiter dictæ; privatæ ſunt, quæ in nutritione Totius conſiſtunt, ſicque univerſales quidem exiſtunt, ſpecialiter tamen ad hoc reſtringuntur, quod in vitio digeſtionis, quæ ſpecialis functio eſt, conſiſtunt, ideò huc referuntur, ſuntque ipſius nutritionis. Illa verò

vel deficit:

In tabe, maraſmo, phthiſi, huc referimus Rachitidem Anglorum &c.

vel abundat:

In variis excreſcentiis, glandulis aſcititiis, ſtrumis, hydropiſi notha, hepatis, ac lienis accretionibus, polypo tùm narium, tùm cordis &c.

vel depravatur

In cachexiâ, Affectione hypochondriacâ, ſcorbuto &c.

In his de morbis ſpecialibus nobis præcipuè erit laborandum, & conferri poterit *Diſſertatio noſtra de iis, quæ in Medicinâ adhuc deſiderantur*, ex qua innoteſcet, prout functiones naturales partium, lienis uſus &c. probè cognitæ non ſunt, ita quoq; de morbis earum haut certum ferri judicium.

Denique & viſis morborum omnium cauſis, antequam ſigna accedimus, differentias addimus ratione tùm cauſæ, tùm ſexus, ætatis, breviter ſc. quantum indicatio utilis poſtulat, & ex prin-

ex principiis noſtris deduci poteſt, ne inutiliter repetamus dicta jam ante, neque diſtincti fiant libri, de morbis puerorum &c. dicitur ſolumodo, in quo epilepſia puerorum e. g. ab epilepſia adultorum differat &c. difficilis dentitio refertur ad functiones oris. Sicque ſequitur

PARS SECUNDA ac SEMIOTICA.

ILLa, quod jam ante innuimus, doctrinam de morborum cauſis continuat, & hoc præcipuè agit, ut ſigna ſingula tàm *Diagnoſtica*, quàm *Prognoſtica*, ex ipſiſſimis cauſis ſuis ſecundùm veteres pariter & recentiores, maximè verò ex principiis verioribus à nobis aſſumptis tradat. Hocque eſt, quod potiſſimùm deeſſe videtur communibus *Semiotices* ſcriptoribus, cùm negocium ſit plenum difficultatis (nonnunquam ac verè ſparſim *Sennertus* noſter hujus vel illius ſigni cauſas ſuperaddit) ſiquidem *Hippocrates*, quem præcipuè ceu *divinum* in prognoſi ſignisque admirari licet, brevitate illâ, quâ oraculi inſtar eſt, obſcurus exiſtit: ex eo verò unicè, veluti à genuino fonte ſigna deducenda veniunt.

Sicque agit partis hujus

SECTIO PRIMA,

DE Signis, fontibus, differentiis, ac cauſis eorundem in genere.
De Signis externis, ægri decubitu, moribus, conſuetudine mutatis, facie Hippocraticâ, inquietudine &c.

Hæc quoque licet non explicata æquè inveniantur apud Autores, generales ſignorum fontes conſtituunt.

De Signis

De Signis communibus, ac primò quidem pulſus, *ubi potiſſimùm animadvertitur in* Herophileas *diſtinctiones, quas præter neceſſitatem introductas retinent Autores, pulſus ſcilicet undantis, caprizantis &c.*

De Signis Urinæ, *ejus colore, odore, ſapore ac contentis omnis generis, telis, ſpuma, coronis &c. earundemq́; cauſis.*

De Signis Salutis & Mortis, *à functionibus, quas veteres ita vocant, facultatis naturalis, vitalis, animalis, excretis ac retentis, mutatâ qualitate &c. deſumptis, ac horum omnium cauſis.*

Hîc præcipuè *Hippocratis* Oracula, quæ *in Aphoriſm Coac. prænot. &c.* occurrunt, ex genuinis cauſis explicandi, noſtriſque applicandi luculentiſſima ſe offert occaſio, Veterum verò diſtinctionem illorum, cum ejus nihil interſit, retinemus, prout ſe. in ſenſus incurrunt, ita cognoſci debent & explicari.

De Criſi, Diebus Criticis, variâ morborum metaſtaſi, tuberculis, laboribus Hippocratis, *lunæ Syzygiis, naturæ motu ſpontaneo, cruditate & coctione* Galeni, *ac horum omnium cauſis.*

Atque hæc quidem communi modo moreq́ue ad doctrinam ſignorum referri ſolent, nec præter inſtitutum adeò, cùm omnino ſigna proponant mutationum, quæ fiunt in morbis; ſed & hîc vanitas calculi critici, quem adeò ſcrupulosè ponunt Autorum nonnulli, qui præcipuè *Aſtrologicis* ſubſcribunt principiis ac commentis, expendenda venit; videnda ipſa *criſis* eſt, *Medicorum* illa *religioſitas*, quam ita eleganter vocat *Langius, Idolum commune*; expendendæ ſunt controverſiæ illæ, an *religiosè adeò expectanda ſit criſis? annon hoc ipſo occaſio, quæ ſecundùm* Hippocratem *præceps eſt, elabatur? an denique,* quod *vult* Helmontius *tùm demum fiat criſis, quando* naturæ onus bajulandum, *verba ejus ſunt,* unicè incumbit?

Sic

Sic ſe habent ſigna communia, jam ad propria ſingulorum morborum accedendum eſt, & hîc quidem retinemus methodum, quæ primæ partis eſt, ſecundùm eandem ſeriem tradimus ſigna,

primò

Diagnoſtica,

deinde

Prognoſtica.

v. g. in SECTIONE PRIMA

Divini in morbis, idearum, fermentorum, humorum, acidi, acris, amari &c.

In SECTIONE SECUNDA

Dolorum, febrium, peſtis, inflammationum, convulſionum, fluxuum, dyſenteriæ, obſtructionum, hæmorrhoidum, Iliacæ paſſionis &c.

In SECTIONE TERTIA

Apepſiæ, picæ, bulimi, ſterilitatis, molæ, aſthmatis, maniæ &c.

Sicque & hæc finita pars eſt, in qua ſigna cauſis primæ partis reſpondent, & quod præcipuè noſtrum eſt, ex ſuis etiam explicantur cauſis.

Monemus adhuc eleganter ſic continuatâ ſerie ac in tabulâ veluti exhiberi ſigna omnia, ut ante oculos eam habeant, firmiterque imprimant futuri Medici; Magni autem momenti res eſt cognoſcere morbum, imò præcipuum ferè artis ac curationis.

Sic viſa ſunt omnia, quæ ad *Theoriam* ipſius Medicinæ ſic dictam communiter ſpectant, ad praxin cùm accedendum ſit,

 primitùs

primitùs de remediis, quæ media ſunt, ac objecta illius, diſpiciendum eſt, & hinc introductam Medicinæ partem habemus *Pharmaceuticam* dictam, quam duplicem hodiè conſtituunt Autores, *Galenicam* & *Chymicam*. Hinc ordinata proſtant tot *Diſpenſatoria*, & huc referuntur omninò *Methodus præſcribendi formulas*, opera etiam illa, quæ *Materiam Medicam* explicant.

Quoad hocce Pharmaceuticam iſtiusmodi partem Medicinæ conſtituendam eſſe, res ipſa omninò poſtulat, finem qui vult, vult etiam media ad finem, dici communiter ſolet. Sic itaque nobis erit

PARS TERTIA

Pharmaceutica.

PRimitùs diſtinctiones illas in *Pharmaceuticam*, & *Chymiam* non æquè poſſum admittere, non quod *Chymia*, ut communiter ſtatuitur, pharmaceuticæ aliqua pars ſit, alibi enim ac *in ſpecimine chymiæ philoſophicæ*, *Prodromo etiam Philoſophiæ naturalis* demonſtravi, ad naturæ ſcientiam eam ſpectare, ac ejus *clavem* quaſi eſſe, ex applicatione ſaltem hoc habent Medici, ut *aquam* e. g. *roſarum*, quam ſeparatam demonſtravit Chymicus eſſe *partem phlegmaticam* mixti illius nondum à *ſemine maturatam*, adhibeant ad refrigerandum; ut *ſulphur*, quale copioſum in antimonio eſſe per analyſin demonſtravit Phyſicus, ad ciendum vomitum in uſum vocent; ſed quod ſubordinata hæc omnia ſibi ſint, ſive jam pilulas conficiam Galenicè, ſive Chymicè extraham eſſentiam, uſum eundem ac finem reſpiciunt omnia, hoc eſt Pharmaca conficimus, adeoque una ſolummodo eſt *Pharmaceutica*, ſed & hac in parte faciles ſimus; eſto, diverſos operationum modos, qui hîc occurrunt, diſtinctionem aliquam

parere

parere poſſe, ſic itaque & nobis erit partis hujus, ac in anteceſſum quidem

SECTIO PRIMA,

De Materia Medica.

ILLam ſcilicet omninò ad manus primò habere debemus, vel cognitionem ejus, antequam modi præparandi eam tradantur. Sed hîc iterum monendum eſt, extra limites ſuos evagari Medicos, dum *Materiam Medicam*, hoc eſt, ſimplicia, ac corpora naturalia phyſicè ex cauſis ſuis, modo generationis &c. explicant (largior utique, quaſi quadam neceſſitate ductos hoc facere illos, quia omnimode deſtituti ſunt hac in parte, ac rerum naturalium ſcriptoribus, quippè qui, ut ſupra de anatome jam innuimus, hæc potius ab ipſis Medicis mendicare ſolent, hâc ratione & neceſſitate commoti Anatomen etiam ac Botanicen ſui juris fecêre Medici, ſed non autumo hanc ſufficere cauſam, ob quam confundi debeant ſcientiæ ac μετάβασις εἰς ἄλλο γένος fieri) ad naturæ ſcientiam ſpectant illa, adeoque illorum in dictâ noſtrâ illâ philoſophiâ naturali eò majorem rationem quoque habebo, cùm ad Medicinam applicentur, objectum verò ſuum, circa quod verſatur artifex, probè perſpectum habere debet. Sic itaque ſolummodò Materiam Medicam (ſunt tamen etiam alia, ac ſpecialia, quæ huc ſpectant, ut jamjam videbitur) adducam expreſſam ſolis ferè nominibus, & ſecundùm quidem receptam communiter methodum, qualis vel *Schröderi* eſt, neque enim alia hic requiritur, cùm ſola horum applicatio ad inſtitutum medicum fiat, ſicq; agamus:

1. *De* meteoris, *& quæ ex iis in uſum veniunt, rore majali, aquâ tonitruali, nive, mannâ, aëre, aquâ, referri huc quadantenus*

poteſt muſcus cranij humani cœleſti ſemine ſatus, lapis tonitrualis &c.

2. *De* Mineralibus, *metallis, plumbo, antimonio, mercurio, auro, flore æris &c.*

De Vegetabilibus, *ac earum partibus, plantis officinalibus, reſinis, gummatibus, fructibus, ſcammonio, aloë, ligno betulæ, liquore ejus, ſulphure abietis, muſco omnis generis &c.*

De Animalibus, *ac partibus illorum, lumbricis, oſſe cordis cervi, C.C. corde muſtelæ, lapide Bezoar, unicornu, dente equi marini, ſanguine hirci &c.*

Hâc ſerie exhibere poſſumus *Materiam Medicam*; ſed quænam ſunt *Specialia*, quæ diximus verè *pharmaceutica* circa ſingula moneri poſſe?

4. illa ſunt:

1. *Diſpiciendum eſt, an hæc omnia, quæ vulgò ſic ceu* materiæ medicæ *occurrunt in Officinis, omninò ſint neceſſaria, an ſufficiant vel an plura adhuc addi debeant?* & in hoc pertractando ex modernis *Clariſſimi D. D. Ludovici* laudabiliter verſatur opera &c. quantum ejus fieri poteſt, multitudine onerari non debent officinæ cum tanto ſumptuum diſpendio, multorum ſæpè malorum causâ; Hinc de *ſuccedaneis* ubique, ac hâc occaſione agere conveniet.

2. Agitur circa *materiam medicam* ipſam de *collectione ejus, modo, & loco*, quando ſcilicet, & quomodo e. g. *ros majalis* excipi debeat, ac depurari; quomodo diverſo tempore colligantur plantæ, ac partes earum? ſucci ſcilicet, dum teneriores herbæ adhuc ſunt, antequam lignoſæ evadant; fructus, dum illi benè maturi exiſtunt; hinc de *temporibus balſamicis* dicendum eſt. Quomodo porrò ſanguis hirci excipiatur, calvaria exponatur aëri pro colligendâ uſneâ &c. Denique de *notis bonitatis* e. g.

mechoa-

mechoacannâ, reſinoſam illam valere, probâ Unicornu veri, quam habet *Baſilius* cum nummo, Lapidis Bezoar &c. deſpiciendum erit.

3. Tractatur de *modo aſſervandi ſingula* v.g. ſuccos inſpiſſari, oleum ſuperaffuſum excludendo aërem præſervare à corruptione, &c. *camphoræ adduntur grana piperis &c.* horum ubique cauſas addimus.

4. ac potiſſimum, in quod ſingulari induſtriâ inquirendum veniet, eſſe debet

1. *De facultatibus medicamentorum*, an calidum & frigidum primi, ſecundi gradus &c. an potiûs ſecundùm etiam *Hippocratem acidum, amarum &c.* facultates illas conſtituat?
2. *De modò cognoſcendi facultates illas.*

Hæc ſunt quæ ad Pharmaciam propriè ſpectant, & hæc ſingulis ſpeciatim à nobis applicanda veniunt.

Sic habemus *materiam medicam*, pergendum ad *præparationes* ejus, quas dividemus, ut diximus, in *Galenicas*, (competit nomen hocce illis, ſi verum eſt, quod imputatur communiter *Galeno*, eum *rhodoſtagma* non vidiſſe unquam, nec *mercurium*) & *chymicas.* Ergo agit

SECTIO SECUNDA

De præparatis Galenicis.

De Operationibus vulgò pharmaceuticis dictis, levigatione, decoctione, expreſſione, trituratione, (hîc de molâ philoſophicâ Cl. D. D. Langelotti *agi poterit) colatione &c.*

De evitandis erroribus, in compoſitione medicamentorum, id quod peculiari diſſertatione explicatum maximâ ex parte jam dedimus.

De

De doſi medicamentorum, ponderibus, ingredientium proportione &c.

Hîc potiſſimùm pertractatur controverſia illa, an in doſi ubique communiter ſit peccatum, an ſecundùm *Zvelferum Theriaca* ad dimidiam unicam, vel integram etiam ſit exhibenda? &c.

Jam verò formæ ſequuntur remediorum ſpeciales, ſecundùm ſcilicet communem diſtinctionem in *liquidas, mediæ conſiſtentiæ, & ſiccas*, ſicque agetur

De decoctis, infuſis, nodulis, vino, melle, cereviſia, medicatis, oxymelle, hydromelle, mulſo, &c.

De Syrupis, & Julebis (miva ac rob huc referri poſſunt) potionibus, emulſionibus, lacte medicato, liquoribus, ac mixturis variis.

De Balneis, Embrocationibus, Fomentis, Epithematibus, Lixiviis, Gargariſmatibus, Clyſteribus, ac injectionibus aliis.

De Bolis, Electuariis, Eclegmatibus, Conſervis, Conditis &c.

De Unguentis, linimentis, Balſamis & Oleis, per expreſſionem ſcilicet, & infuſionem factis &c.

De Rotulis, Morſellis, Tabulis, Globulis, Elæoſaccharis, amygdalato &c.

De Trochiſcis, Moſchardinis, pomis ambræ, ſtylis dentifriciis &c. ipſis denique pilulis.

De Emplaſtris, Ceratis, Cataplaſmatibus, Dropace, Sinapiſmo, Phœnigmo, Suppoſitoriis, & peſſis &c.

De pulveribus, ſpeciebus, Trageis, cucuphis &c. vel ſacculis aliis &c.

Hæ ita ſunt præparationes illæ, quas *Galenicas* vocamus, non æquè operationis diverſitate diſtinctæ adeò, quàm vel ſolâ formâ ac conſiſtentiâ. In ſingulis attendendum erit, ut errores, quos generaliter in ſuperioribus adduxi, evitentur omnes, ac videre ubique erit licitum, *an ex formis illis omnes ſint neceſſaria &c.* Sicque pergimus ad Operationes Chymicas & ſequitur

SECTIO

SECTIO TERTIA

De Præparatis Chymicis.

SUb initium hujus ſectionis agendum forſitan etiam eſſet de ipſis Operationibus Chymicis, ſed cùm anteà dictum jam ſit, *Chymiam* ad *Naturæ ſcientiam* ſpectare, ideò eam, quâ talem, quæ de operationibus dictis eſt, *fermentatione*, *præcipitatione &c.* quibus tractatur mixtorum analyſis, ad *Phyſicam* quoque referimus.

Quæ itaque Medicus ex applicatione ſui juris facit, ſunt ſequentia, agitur ſcilicet

1. *De menſtruis, liquore Alkabeſtino, ſalibus volatilibus oleoſis, Spiritu veneris* Zvelferi &c.

Sic primò de *menſtruis* videndum hîc eſt, quatenus illa dictam applicationem ad Medicinam reſpiciunt, nec æquè Phyſici ſunt Juris. Sic Medici haut rarò totaliter ſolvunt nonnulla, ſine ulteriori partium ſeparatione, & ſufficit Medico, acetum e. g. ea, quæ ſolvit, ſaturnum, &c. relinquere ſolubilia, licet ad dictam analyſin mixti nihil faciat.

2. *De aquis deſtillatis per ſe, cum vino factis, ex ſuccis &c. de aquis eſſentialibus, phlegmate mineralium, odorato Sacchari Saturni, Sulphureo Vitrioli, aquis animalium &c.*
3. *De Spiritibus vegetabilium per ſe, ac fermentatione*, vel cum *Spiritu vini* factis, Spiritu *roſarum, Saturni ardente, animalium, lumbricorum per ſe facto &c. Tartari, Nitri &c.* de *Spirituum concentratione, dulcificatione, in olea ac ſalia converſione.* Huc ſpectant etiam ſic dicti *Clyſſi &c.*
4. *De Acetis per ſe ex vegetabilibus factis, liliorum convallium, roſarum &c. de concentratione ac radicatione aceti.*

Miror

Miror hanc de acetis doctrinam communiter negligi ab Autoribus, æquè ac ſi Chymica non ſit, vel aceta hæcce volatilia præcipuè ſummæ efficaciæ remedia dici non debeat. Sanè pari ratione, quâ Spiritus fiunt per fermentationem, ita exactâ eâ, liquor non minùs ſpirituoſus in acetum abit, arte naturam adjuvante.

5. *De Oleis vegetabilium, aniſi, roſarum &c. rectificatione eorum, animalium fætidis, mineralium oleo, vitrioli &c.*

6. *De Elixiribus, Elixire proprietatis* Helmontij, *modo convertendi extracta Sulphura in Elixiria &c.* Huc refero *extracta ac eſſentias vulgares &c.*

7. *De Tincturis roſarum, coralliorum, Lunæ &c.* quid ſcilicet illis tribui debeat.

8. *De Salibus volatilibus, fixis, Enixis, Sale Tartari volatili, Tartaro Vitriolato; de oleorum in ſalia volatilia converſione, de Urinoſis animalium ſalibus, ſale viperarum &c.*

9. *De volatilium fixatione, & fixorum volatiliſatione, alkaliſatorum concentratione, omnium in ſpiritum commutatione, de ſalibus fixis metallicis &c.*

10. *De Sulphuribus vegetabilium, ardentibus mineralium, ſulphure Vitrioli anodyno, ſulphuribus metallicis combuſtibilibus, & incombuſtilibus &c.*

11. *De Mercuriis corporum, eorum fixatione &c.*

12. *De Magiſteriis, calcibus, regulis, vitris, vitriolis, Antihectico* Poterij, *ac ſimilibus præparatis vulgaribus &c.*

Hæc ita fuere præparata, quæ maximam partem ad *Diacriſin* ſpectant (retinemus duo illa ſumma genera, *Syncriſin* ſcilicet & *Diacriſin*) ultimùm de compoſitione agitur ac

13. *De Eſſentiis, ſic dictâ trium principiorum conjunctione, de coagulatione ſulphurum ac mercuriorum &c.*

Atque ſic quidem Chymiam noſtram finimus, ſciendum tamen adhuc eſt, quâ methodo ſingula illa pertractem. Et in citatâ ſuperius *diſſertatione Chymiam* hancce *Philoſophicam* vocavimus, cùm operationum omnium chymicarum cauſas ex genuinis artis principiis tradat, ſic itaque ubique &

Primò *quidem operationes, ipſosq́, adfero proceſſus non tantum vulgares, ſed ſecretiores etiam, quod ex ipſa delineatione jamjam adductâ patet; fidem autem facio, me ea eſſe allaturum, quæ ſcio, experientiâ ipsâ confirmari.*

Secundò, *addo encheireſes circa præparationes quaſcunque, illæ quippè, cum maximè neceſſariæ ſint, diſtinctè præ reliquis tradi debent ac cognoſci.*

Tertiò, *ubique tàm circa operationes ipſas, quàm illarum encheireſes, ut jam dixi, cauſas addo.*

Quartò *denique falſos etiam aliorum adduco, ex* Schrödero, Libavio &c. *proceſſus, eosdemq́ examino, id quod vel maximè deſiderari video, cùm ſpeculationum, falſorumq́ proceſſuum magna ubique ſit copia; errores voco eos, ſubnatos ex perverſa exſcribendi alios conſuetudine. Et ea de cauſa ac*

14. *Ex profeſſo ago de modo examinandi præparata, ac proceſſus quoscunque, in reſpectu ſc. ad Medicinam: integrum verò Chymiæ Syſtema cum omni ejus uſu, delineabit* Philoſophiæ naturalis Prodromus, *cujus mentionem jam aliquoties feci.*

Hæc ſectio etiam Chymica fuit, ſequitur

SECTIO QUARTA

De Methodo præſcribendi formulas.

COmmunem praxin hodiè in formularum præſcriptione conſiſtere vulgò notum eſt, & cùm alia atque alia pro

Symptomatum ceu circumſtantiarum diverſitate miſceri debeant, requiritur omninò à Magiſtro Medicove, ut ſingula in debitâ formâ præſcribat, ac ordinet. Eſt adeoque, quod facilè cuivis patet, hæc de præſcribendis formulis doctrina nonniſi applicatio aliqua eorum, quæ de præparatis ſunt dicta, ſic enim præſcribi debent ea, prout quidem confici ſolent.

Et hinc ſequitur, quod communiter à Medicorum nonnullis iidem in præſcriptione formularum committi ſoleant errores (toto die hoc obſervare licet) qui in ipſa compoſitione medicamentorum occurrunt.

Eandem itaque ſeriem *formarum*, hincque *formularum* retinemus in hac ſectione, quam *Sectio ſecunda* & *tertia* habet, ac breviter ea *Magiſtrorum*, hinc dicuntur hæc *Magiſtralia* reſpectu ſcilicet *Officinalium*, uſui accommodamus. Unde agitur de præſcriptione

Decoctorum, Vini Medicati, Juleborum, Emulſionum, Electuariorum, Rotularum &c.

ac ratione præparatorum Chymicorum de

Aquis, Spiritibus, Oleis, Salibus &c.

Sic quod æquè præſtitum ab aliis non eſt, omnes enim habent ſolummodò communes ac *Galenicas* compoſitionum formas, hæc noſtra doctrina alterâ parte auctior redit. Quidni autem horum quoque ac Chymicorum eſſe poterit applicatio aliqua, nonne ſimili ratione ordinare poterimus *eſſentiam* aliquam vel *Elixir, Spiritumve*, ut præparetur, quàm quidem *Electuarium* aut *Decoctum, longæ* præcipuè *decoctionis? &c.*

Denique & cùm laudabili non minùs inſtituto *Diſpenſatoria* ſint introducta, ac *Officinalia*, ut abſente Medico compoſitionibus debitis ægrorum ſaluti ac neceſſitati ſubitaneæ ſit proſpectum; officinæ adeoque hodiè publicâ autoritate conſtitutæ

ſtitutæ extent, ne noſtro hîc officio deeſſe videamur, continet partis hujus

SECTIO QUINTA
Diſpenſatorium Novum.

NOn quidem mihi adeò abblandior, ut perſuaſum habeam, rejectis iis, quæ ſeculorum uſu comprobata quaſi ſunt *Diſpenſatoria*, hoc meum ſubſtitutum iri, æquè ac *Pharmacopœia Zvelferi*, licet *Regia* dicta ſit, non propterea Regum ſcrinia occupat, nihilominus &

1. *cùm in officinis, de quo ipſos Pharmacopœos non ſemel conqueri videmus, multa occurrant ſuperflua, quæ vel rariſſimè, vel planè non in uſum vocantur.*
2. *Cùm negari non poſſit, hoc præcipuè tempore alia ſubinde diligentiâ Medicorum ornatiora multiplici non minus uſu comprobata innotuiſſe medicamenta, innoteſcere indies plura.*

Hæc, inquam, cùm ita ſe habeant, non video, cur non hoc, quicquid laboris eſt, in commodum artis ſuſcipi debeat, ut reſpiciendo ad delectum ac efficaciam præcipuè medicamentorum optimæ notæ, quibus illâ ratione reſpondent, ac com̃uni Magiſtræ experientiæ tale *Diſpenſatorium* adornetur.

Neque enim mea hîc adeò tradere volo, ac ſi mihi unicè rerum harum arbitrium ſumerem, ſed ea etiam, quæ ab antiquiſſimis *Myrepſo*, *Ruffo* (pilulas ejus bonas cenſet etiam *Helmontius*, officinarum ac diſpenſatoriorum juratus aliàs hoſtis) benè ſunt tradita, ac præterea quæ hodiè à peritiſſimis medicis uſu multorum annorum introducta habentur. Sic memoria renovabitur meritorum *Hartmanni*, *D. Michaelis* aliorumque, qui modernam ætatem coluêre.

Quidni cùm hodiè in vulgus abire incipiant ſalia e. g. vegetabilium volatilia, iis exornari debent officinæ, melioribus profectò ſuperfuturis?

Sic itaque in claſſes debitè *Diſpenſatorium* hocce diſtinguo, ac eum ſervo ordinem, quem priores *quatuor ſectiones* partis hujus commonſtrant, nec alius obſervari poteſt.

Prima Claſſis habet *res nativas*, quarum ſolummodo affero nomina, reliqua enim earum cognitio ex *prima Sectione* repetenda eſt.

Secunda *Succos, Syrupos, Mel omnis generis, Mivas, Rob &c.*

Tertia, *Electuaria, Conſervas, Condita &c.*

In Quarta Claſſe ſunt *Unguenta, Linimenta, Balſama, Olea infuſa &c.*

Quinta Claſſis exhibet *rotulas, morſellos, globulos, moſchardinos, Elæoſacchara &c.*

Sexta Claſſis habet *Emplaſtra, Cerata, Suppoſitoria &c.*

In Septima ſunt *pulveres, præparatæ variæ ſpecies.*

Sic porrò & ratione præparatorum Chymicorum

Octava Claſſis *Aquas* varias tradit *ſimplices* & *compoſitas.*

Nona comprehendit *Spiritus Animalium, Vegetabilium &c.*

Decima tradit *Olea ſtillatitia omnis generis &c.*

Et ſic porrò usque ad claſſem ultimam *eſſentiarum*; tituli poſſunt ex *ſectione ſecunda* repeti, in qua, quicquid deſcriptum jam eſt, in hac ultimâ ſectione, indicari ſolummodo debet. Et hac ratione inſtituto noſtro hac quoque in parte ſatisfactum erit.

Monendum hoc reſtat, me eorum medicamentorum, quæ in *Diſpenſatorio* hoc offero, uſus per totum reliquuum opus in applicatione ad morbos ſingulos tradere, ſicque quod cœptum eſt, continuare. Jam verò ſequitur

PARS

PARS QUARTA
ac
HYGIEINE.

DOctrina illa, quæ de conſervanda ſanitate eſt, hunc jure merito in methodo noſtrâ obtinet locum, revera enim illa, prout *Therapeutices* ſeu *Practices* pars aliqua exiſtit, ita etiam, quod paulò poſt per ſpecialia demonſtrabitur, medicam requirit opem, utut hoc ipſum neglectum ſit communiter. Sanè nonniſi remediis e. g. vigor ſtomachi conſervatur, & concedit hoc ipſum *Sennertus* in *Inſtitut. ſuis*; hinc alimenta ſunt medicamentoſa &c. Quod autem præcipuum eſt, video communiter in hac *Diætetica* parte ſpecialiter non reſpici ad particulares viſcerum functiones. Earum quâcunq; quemadmodum deficiente oritur morbus, ita præſervatio quoque ejusdem omninò datur. Secundùm ſeriem itaque digeſtionum ordinari debet Medicinæ pars hæcce, non æquè ſecundum Claſſes *rerum non-naturalium*, quod communiter fieri ſolet. Harum enim ſolummodò ad ſeriem illam digeſtionum applicatio eſt, & multa ſunt, quæ ſpecialiter explicari debent, juxta methodum autem illam communem prorſus negliguntur, id quod ex ſequentibus pluribus innoteſcet. Communiter in libris de *Hygieina* ingens ſe offert farrago rerum, quæ huc non ſpectant, *Sebizij* prodiit nuper opus de *alimentorum facultatibus*, ſed in eo integram *Phyſices* partem, quæ de animalibus &c. eſt, reperire licet &c. „Adeoque & reſectis illis unicè attendere debemus ad ea, quæ hujus loci ſunt. Ego partis hujus ſequentes conſtituo ſectiones, eſtque

SECTIO

SECTIO PRIMA

De Prolegomenis Hygieines.

PRimò quaſi quædam trado prolegomena, *qualia Diſſertatio etiam de moderamine ſanitatis ad vitam longam ex parte habet, ſuntq́ de vita longa, quot illa e.g. conſtituatur annorum &c. de anno hinc Platonico, de difficultate porrò remedij ad vitam longam, properâ Paracelſi morte, Artephij longævitate &c. de fato, termino fatali &c. videndum. Porrò agit*

SECTIO SECUNDA

De Regimine Sanitatis in genere.

IN hac ſecunda Sectione in genere de regimine ſanitatis ad vitam longam ago, non habito reſpectu nec ſexus, nec ætatis &c. atque hic quidem, quod noſtrum quaſi eſt, conſilia illa trado ſecundùm ſeriem Digeſtionum omnium corporis noſtri, in quibus ſanitas conſiſtit ac vita. Incipio itaque ab ipſo ſtomacho, odi illos dico ſecundùm Arabes *animam ſuam, qui non probè manducant cibos; ago de ſtomachi, qui ſanitatis morborumq́ limen eſt, conſervatione, de ſtudio illo ſanitatis* Hippocratico, *quod in abſtinentiâ conſiſtit; de remediis, quæ ventriculi fermentum conſervant, tollunt ſubindè cruditatum, ac corruptionum cauſas; ago, quomodo in officio retineri debeat alvus, hinc de aloëticis &c. paſſulis ac ſimilium uſu dicendi occaſio prolixa ſe offert. Quoad reliquas digeſtiones, potiſſimum habetur reſpectus ad ſordes excrementitias, quæ morbis occaſionem dant, & hinc agitur de diureticorum, & diaphoreticorum uſu &c.*

In ſpecie ratione hepatis de conſervatione ejus, de ſpecificis uterinis &c. ſecundùm ſc. partium ac digeſtionum ſeriem, quatenus à Diæteticâ concedi hoc videtur, tracto prolixius. Ratione reſpirationis agitur de iis,

de iis, quæ cum aëre attrahuntur, odoratis, aurâ ſalubriore ac ſimilibus. Ratione cerebri ac functionum ejus, de conſervatione memoriæ, lixiviis *vulgò ſic dictis* ſapientiæ, *cucuphis nonnulla occurrunt.*

Particulariter de conſervandis oculis, expurgandis naribus, auribusq; &c. agendum venit.

Et hæc interna ſunt, quæ antequam trado, cùm externæ multæ ingruant occaſiones, quæ vitam nobis ſuffurantur &c. de illis primùm omninò videre conſtitui; hincq; agitur de præſervatione ab infecto aëre, zenexto Paracelſi, de ventilatione aëris calidioris &c.

Porrò contra incantationes, de uſu mercurij &c.

Denique de violentis lapſu, Coralliorum uſu &c.

Digeſtiones omnes reſpiciunt ſomnus & vigiliæ, motus & quies, pathemata *denique* animi, *usque adeò ut in hac naturali ſerie nihil eorum omittatur, quæ ad vulgò conſtitutas* rerum non-naturalium *claſſes ſpectant, debito tamen, quod iterum iterumque moneo, ordine diſpoſita extant.*

SECTIO TERTIA

De Regimine Sanitatis in ſpecie.

HÆ*c Sectio ſpecialia tradit, ac quæ dicta ſunt in ſuperioribus generaliter, applicat ad ſpecialia, ratione ſc. ſexus, ætatis, temperamentorum, unde de cura agitur* Recens-natorum, Senum, Gravidarum, *ante & poſt partum &c.*

SECTIO QUARTA
eſt
Arbor Vitæ.

I*N hac denique ſectione ſpecialiſſimè agitur de medicamentis, quæ ſingulari virtute* creduntur *eſſe inſignita ad vitam longam. Videtur*

hæc pars hodiè ſub nomine Arboris vitæ *ſpecialiter venire eò, quod illa credatur* Helmontio *cedrus,* Tackio *Juniperus, hinc de illis, de Ente cedri, de Elixire proprietatis* Paracelſi, *de quintâ eſſentiâ roris ſolis* Hollandi, *de liquore ſulphuris* Helmontij *ac horum uſu curioſè agitur.*

Sicque finita etiam hæc pars eſt, & cùm ſanitas deficiens maximè in ipſis laboret morbis, ideò recto pede, ac ſecundùm methodi leges ipſam *Therapeuticam* accedimus, eſt itaque

PARS QUINTA
THERAPEUTICA.

IN uſus ſcilicet converti debent illa omnia, quæ in anteceſſum tanto labore ſunt tradita, ſpes hæc eſt ægrotorum & ſolatium, in quod dati ſumus Medici, verè ſecundùm *Hippocratem* non *nomine* ſed *re* tales, ac morborum curatione; ſicque (non evagor unquam extra ſemitam illam, quam ſecuram conſtitui, planamque, & cui in reliquis partibus preſſo inſtiti pede) partis hujus

SECTIO PRIMA
eſt
De Morborum Curatione in genere.

DE *Ingreſſu ad infirmos, habitu decenti, ac ornatu* Hippocratis, *addo hic curioſa de roſtro Monſpelienſi, religione Medici &c.*

De Prudentia Medicâ.

Maximi momenti hæc eſt, ac profectò neglecta communiter, quivis illam non niſi ipſo rerum uſu addiſcit, ſpectat verò ad eam *modus tractandi ægros, adſtantes, moribundos, morbos ipſos,* & huc reſerri poſſunt, quas ita voco, *artes Medicæ,* per quas quid intelligam, non æque hic addo, cautè etiam adduco illas in ipſo opere.

De Dignotione morborum ipſa, ex ægri decubitu &c. illis, quæ quæri debent ex ægris ſecundùm Hippocratem: *Quid patiatur, quamdiu? &c.*

De modo explorandi pulſum inſtrumentis Sphygmicis &c.

De Urinomantia, fraudibus ac artibus ejus variis, de Urina dotimaſtica Thurneiſſeri *& ponderatione* Helmontij &c.

His præmiſſis ſequitur ipſa *medendi ratio*; unde agitur

De antiquorum Empirica (hic de Fanis Æſculapij, invocationibus, Tabulis votivis curioſè agi poterit) analogiſmo &c.

De Methodicorum cyclis, methodo medendi rationali, ac Galeni, quæ eſt, quod contraria curentur contrariis &c.

De curandi methodo Paracelſi *per ſimilia,* Helmontij *per dotata & appropriata, ac quid de his omnibus concludendum ſit?*

De Jatro-Mathematicâ nonnullorum, Magneticis ac Sympatheticis curis, morborumq́ transplantatione, hinc de Siglis, characteribus ac modis ſuperſtitioſis curandi, expulſione Diaboli Koſackij &c.

De antiquiſſima medendi ratione per odores; hinc occaſio videndi ſe offert de applicatione topicorum, an ſcrupuloſi adeò in ea eſſe debeamus, inventâ hodiè circulatione, quæ odores ad partem affectam facilè defert, de unguentis vertici inunguendis, ut habet Cl. D. D. Major.

De recentiſſimis curandi modis, Chirurgiâ infuſoriâ & transfuſoriâ, earum uſu & applicatione.

Denique concluditur, agiturq́ de Indicationibus, quales illæ ſint, quæ Indicantia habeant, quomodò Indicata ſibi applicent.

Sic ſe generalia habent partis hujus, quæ omninò præmitti debuerunt, jam ſequuntur ſpecialia, & cum vitale principium ſupponatur ubique in morbis, ejus intuitu quæritur.

De Medicamento Univerſali.

An detur tale medicamentum univerſale? quale illud eſſe poſſit, hinc

 de lapide

de lapide Buttleri, Zinnabari Antimonij, Helmontij aſtris metallicis, opio &c. agitur.

Ratione fermentorum ac Idearum videnda ea ſunt, quæ fermenta illa (malè dicitur fermentum aliquod præcipitari, neque enim illud materiale adeò eſt) *extinguendi ac Ideas delendi vim habent, horum nomina ſpecialia nondum innotuere, cùm res ipſa plus ſatis delituerit.*

Ratione humorum tàm ex veteri, quàm recentiori doctrinâ agitur de præparantibus ſeu digeſtivis, de purgantibus, quomodo agant illa, an dentur electivè purgantia? hinc de corrigentibus &c. Porrò de vomitoriis, Clyſteribus (uſu horum & abuſu, in Clyſteribus præcipuè ſpecificis ac nutrientibus) *ſudoriferis, diureticis &c.* Videndum porrò eſt,

De præcipitantibus, quæ conſiderari debent reſpectu tùm acidi, *tùm* alcali, *ne abutamur, quod communiter fieri ſolet, præcipitantium nomine; ſunt autem duo ſumma genera illa,* acidum *ſcilicet &* alkali, *ad quæ* potentiæ Hippocraticæ & ſexcenta illa alia *poſſunt maximâ ex parte referri.*

De alterantibus, refrigerantibus, calefacientibus &c. quomodo illa agant.

Et hîc præcipuè proponitur quæſtio illa, annon v. g. refrigerantia hepatica æquè cor refrigerent, quàm quidem hepar, & vice versâ? præſertim cùm per Anatomen conſtet, accedere cum chylo cuncta prius cor, antequam hepar, ſubintrent &c.

De medicandis aëre, aquâ; de amuletis omnis generis &c. omnibusq́ iis, quæ reſpectu cauſarum occaſionalium in applicatione ad praxin dici poſſunt.

Hæc eſt *Sectio prima.*

SECTIO SECUNDA

De Curatione Morborum Univerſalium

PAri methodi lege habet

Anodyna, de dolorum curatione tàm externâ quàm internâ &c. in ſpecie curam odontalgiæ, topica & odorata in dolore ſtomachi &c. de curatione podagræ, arthritidis &c.

Antifebrilia, de Febrium curatione, de modo tractandi intermittentes, de variolis &c. de curâ Hippocratis *in peſte, zenexto* Helmontij &c.

Antiepileptica, de epilepſia, de ſoporoſorum affectuum, apoplexiæ &c. curatione.

Aperientia, adſtringentia;

ſic porrò

Lithontriptica, vermes enecantia, Carminativa, vulneraria &c.

Singula inſequuntur ſe monſtrato in prima parte ordine.

Sic & in *tertia Sectione* habentur curationes affectuum illorum, qui ad hanc ſeriem ſpectant, agitur adeoque

De curatione bulimi, picæ, ſterilitatis, aſthmatis, maniæ, cæcitatis, obauditionis

Eo ordine, quo, quod toties, totieſque monitum jam eſt, ſibi affectus omnes ſuccedere in dicta illa parte prima commonſtravi, procedo, & ſic in parte hacce morborum curationes cauſis ſuis ſignisque debitè reſpondent.

Sed ſuperſunt alia, quæ omninò circa partem hancce operis monenda veniunt. Hoc ſc. inſtitutum noſtrum eſt, eandem ſequor methodum, quam particulariter in parte prima de morborum cauſis propoſuimus, & in curatione ſingulorum affectuum reſpicimus

1. *Veteres, ipſumq́; Sennertum, quænam ſcil. eorum ſit medendi ratio, quæ medicamenta?*

Atque hîc quidem largiſſima ſe offert dicendi materia de medicamentis, quæ tot ſeculorum uſu ſpecialiter recepta ſunt, ut ſc. errores, ſi qui in compoſitione occurrunt, detegantur &c. ut, quod omnium maximum eſt, nec pertractatum æquè ab aliis, inquiratur in cauſas operationum medicamentorum &c.

2. *Ad* Paracelſum, *ac* Helmontium *pergimus, quomodo ſcil. ſecundùm illos huic vel illi morbo feratur medela, ſed cùm uterq; ille in curatione non differat, neque enim negari poteſt,* Paracelſum *optimæ notæ remediis fuiſſe inſtructum, eo quippè nomine laudatur ab* Helmontio, *malè verò ei audit in doctrina de morborum cauſis, ſintq́; eorum medicamenta vel ſimplicia vel arte Chymicâ parata, ratione & experientiâ comprobata, ideò illorum uſum reſervamus in hac tractatione ad quartum, quo noſtra de morborum curatione proponimus.*

3. *Recentiorum curandi modos videbimus.*

Hîc tamen ingenuè fateri neceſſe habebimus, recentiorum plerosque novas quidem adducere cauſas, utplurimùm autem in curatione cum veteribus coincidere, modò non rei ipſi vim inferant; pœoniæ radix e. g. antiepileptica eſt, quia viſcoſitate ſua particulas ſpirituum impedit, ne diſplodantur; bolus inter alexipharmaca locum habet, quia glutinoſitate ſua particulas peſtis acuminatas obtundit &c. Hæc & alia iſtius generis inter recentiores occurrunt, quid verò tribui illis debeat, jam non dicam.

4. *Denique cùm concludendum ſit, illas curandi rationes, quæ, quod jam innuimus paulò antè, principiis noſtris reſpondent, ac doctrinæ de cauſis, ſive jam* ſimplicia *in uſum vocentur, ſive* Compoſita, Galenica *ſive* Hermetica (*quamquam una*

ſolum-

ſolummodo Medicina ſit nec attendi debeat, quid dictum ſit ab hoc vel illo, ſed quod benè dictum) aliorum etiam ac Medicorum celebriorum experientiâ confirmata remedia non deſtituta ratione, quam & cauſas ubique nos addere denuò monemus, adferemus, hicq; dabitur occaſio recolendi memoriam D. D. Michaëlis Lipſienſis Medici *quondam verè felicis, Præceptoris mei, cujus experimenta ſelectiora, ac proſpero ſucceſſu nobilitatæ inde adferre ex inſtituto erit.*

Nullibi in ſpeciali hujus vel illius affectus curatione omittendi ſunt generaliter adducti medendi modi, ſive jam fiant per *transplantationem, aut magneticam curationem aliam, ſive etiam per infuſionem, aut transfuſionem vel odores*; ſicque numeris omnibus abſolvitur opus, poſteriora reſpondent prioribus, in uniſonum conſpirant omnia.

Sed &

5. *videndum, quid dicta in prima parte conciliatio in curatione tentet, &*
6. *ratione differentiæ in morbis ab ætate, ſexu, diſtinctus medicamentorum uſus expendi debet.*
7. *Supereſt Diæta, ſic namque & circa morbos ſingulos ejus leges, quantum videbitur eſſe de neceſſitate, ordinabuntur*; à ſeveritate autem Italâ, *quâ tantum non fruſta numerantur, ac parciſſimâ manu conſtitutis horarum momentis diſpenſantur, forſitan abſtinendum erit.*

Sic ſe habet integrum opus, & *claudi deberent jam rivi,* quia *ſat prata biberunt,* ſed cum meum inſtitutum ſit, omnia, quæ ad artem integram, Medici perfectionem jure ſpectant, ab eo requiruntur omninò, pertractare, ideò ſuperadditur operi

PARS

PARS SEXTA

De requiſitis Medicis.

HÆc ita vocamus, quia in communi uſu ac praxi à Medicis requiri ſolent, ſuntque

1. *Inſpectiones Medicæ, vulnerum lethalium, mortuorum, gravidarum, morborum fictorum, lue infectorum, venenis interemtorum &c. cum modo judicandi de iis.*
2. *Explorationes venenorum, aquarum medicatarum &c.* hiſce *modum viſitandi officinas,* quia ille non minus exploratio medicamentorum eſt, addimus.
3. *Coſmetice & odorata, & hæc ſunt, quæ Medici perſonam gratioſam magis reddunt. Huc refertur ſic dicta illa* Poſtpraxis, *quæ de medicando funere eſt, &* balſamitio cadaverum *communiter vocatur.*

Sic tandem finitum erit opus, & manus eſſet removenda, etiam à Tabulâ hacce, quod omnino fieret, niſi adhuc ſupereſſent nonnulla, quibus lectorem benevolum voluimus.

Primum eſt, me hîc rerum potius ac cauſarum, quas qui cognoſcere potuit, felix eſt, *quàm nominum habere rationem, nihilominus ubique circa affectus ſelectiora, qualia* Hoffmannus, Lindenius, *Critici illi magni nominis, ſuggerunt nobis, adferre, ſicque in* ἔτυμον *inquirere, ne quid operi deſit, conabimur, ſed paucis, ne quæ philoſophia eſt, fiat philologia.*

2. *Sed & ſelectiora hiſtorica ab antiquitate repetita, quod v. g.* Romani *febribus ſacra fecerunt, de methodo curandi morſus Tarantularum receptâ* Perſis *&c. ubiq; datâ occaſione adducimus. Materiam quoad hocce ac priſcæ eruditionis ſuggeret procul dubio* Theſaurus Medicinæ, *quem prout ſecundùm* Plinium *ita vocat, ita revera etiam ſcribit Auguſtæ* Vir Cl. Dn. Welſchius; *videatur*

videatur operis ejus Obſervation. Præfat. *quæ de hoc Theſauro agit.*

3. *Completam equidem ex* Sennerto, Jonſtonio *Epitomatore ejus habemus morborum ſeriem, quam exprimo penitus, ſed aliis ductis quaſi lineis, referendo ſcil. ſpecies ad genera; occurrunt tamen alij etiam morbi ac omiſſi ab Autoribus illis,* Hydropiſis e. g. notha Helmontij, Rachitis Anglorum &c. (prodiit cura *Cl. Meibomij Boot. tract. de affectibus omiſſis) ne quid de recentioribus dicam, ſecundùm* Sylvium *ſc. læſa ſucci pancreatici generatione &c. horum omnium adeoque ratio haberi debet, ut quid in votis maximè habemus, numeris omnibus perficiatur Syſtema hocce.*

Hocq́ue opus meum eſt, *hic labor*; quo ſi defungi continget, ac attingere metas, placidè videbor mihi exuiſſe ævum, dummodo poſteritati profuerim, &, quid præſtiterim ex ipſo tunc opere innoteſcet, ſi quæ defutura ſunt, perficienda adhuc longioris ævi diligentiâ felicioribus ingeniis ea indicabit.

EPILOGUS TOTIUS OPERIS

De iis quæ in Medicina adhuc deſunt.

Cui accedet

Methodus pertractandi ſtudium Medicum, cum Bibliothecâ ſelectâ, quale conſilium etiam habet Sennertus noſter.

Adeò omnibus prodeſſe cupio, ac modis, modò hoc aſſequi licitum ſit, omnibus!

Sed jam *vertente rotâ urceus exit*, finio itaque, & conatus hoſce bonis omnibus meliorem in modum commendatos eſſe volo, à malevolorum inſidiis non metuo mihi, poſt tergum eas aget virtus. Tu verò

O Domine non nobis, ſed Nomini Tuo da honorem!

F I N I S.

IN ſectas aliquot medicam diſtinguimus artem,
Sed vultum variat nunc magis illa ſuum.
Fermentis aliis in ſanguine fluctuat æſtus;
Archæusque aliis ac furibundus agit.
Alkalia inque *acidis* pugnant, cum *bileque ſuccus*
Pancreatis; multis non niſi *lympha* fluit.
Quid veri teneat falſique, *Aſclepia proles*
Haud ſcit, & incerto ceſpitat usque pede.
Tu, *Vir Clare*, viam monſtras, hæc omnia tradis,
Diſtinguis, trutinas, conciliasve, doces.
Sic dum *Sennerti* ſatagis perferre labores;
Te quoque *Sennerti* nomen honosq; manent.

Gratul. ſcrib.

J. G. V. Poliater.

APPENDIX.

CUm typis deſcriptus jam ſit Prodromus Sennerti Novi, ac alia, quæ interea mihi obvenerunt, ei annecti debeant, appendicem hancce conſtitui. Licet opuſculum in forum nondum prodierit, ad nundinas allatum non ſit, nihilominus ad aliorum jam pervenit manus, ac præter ſpem mihi Clariſſimorum Virorum, qvibuscum etiam nunqvam alias comercium literarium habui venere literas, qvæ inſtituto meo utroqve favent pollice. Illarum aliqvot hic adferre viſum fuit, ut malevolis præcipuè calumniandi præſcindam anſam. Deinde cum nonnullis, titulum, qvem præfigo operi, *Sennerti* ſc. *novi* tenere dubios videam, ac ſi ille æqvè huc non qvadret, ideò ejus rei rationes pluribus hic exponere, ſed &, qvod potiſſimum eſt alios artisq; arbitros noſtræ humaniſſimè invitare volui, ut ſymbola ſua ad op⁹ hocce conferant. De ſingulis breviter:

Cum itaq; in alma Lipſienſi ante annos aliqvot negotium hocce animo volverem calcar ſubinde mihi addebat laudatiſſimus b.m. Præceptor DD. Michael, qvinimo jam tum in publicum prodire conſtitueram, humeri tamen necdum ſufficiebant oneri illi, adeoqve maturo conſilio me abſtraxi, ævi longioris diligentiæ ac judicii maturitati rem omnem comiſi. Juverat me præcipuè laudatiſſ. *Michaelis* inſtructiſſima Bibliotheca ſua (qvæ in Praxi alias abeo didici, qvæve ejus ſunt peculiari opuſculo ſub titulo *Michaelis Redivivi* comonſtrabo orbi, calumniatori iterum anſam præripiam) adeoqve in teſtimonio humaniter mihi conceſſo ejus rei fidem etiam facit, *patuiſſe mihi ad Bibliothecam ejus aditum, aſſidua me eam volviſſe manu, cum ſtudiis humanioribus ac philoſophiâ probè ſim excultus* (præfiſcini adferuntur hæcce, nec adeò mihi iis abblandior) *arti graviter operà, dederim* ſufficere me ad *laborem huncce*, &c. Lipſiâ cum Italiam aditurus per inclytam Jehnam pergerem Magnum tunc Rolfinccium ſalutabam, eiqve inſtituti mei rationes exponebam, ſpecimen etiam aliquod ei offerebam: dici non poteſt, quâ hæc voluptate ſumum illum artis noſtræ antiſtitem affecerint, ut ultrò ac Pataviũ humaniſſimè datis literis, qvas Prodrom. p. 6. exhibeo, ſuffragium tulerit. In Italiâ itaq; decurſu 4. circiter annorum totum perfeci opus, qvanqvam non eâ methodo, qvam Prodromus hicce comonſtrat, ſeriem tunc affectuum, qvam *Jonſtonius* habet, retraxi, rem tamen ipſam tractavi, prout dicta delineatio hoc indicat, adeoqve ut alium in ordinem totum opus redigam, cultumqve illi adhuc addam, omninò neceſſe erit, hocque ultimum laboris eſt, quod ei tribui debet.

Non defuere Viri Clmi Doctiſſ. Exemi etiam Patavini, Doctores nonnulli, ac ex conterraneis Elmi. Emiq;. *DD. Scheidlin, DD. Hochſteterus, DD. Jucht,* qvos omnes honoris ergò hic nomino, qvi hæc mea avido excipere calamo, lateri adeoq; freqventer adſtitere meo nuncq; integrum opus manibus habent.

In Germaniam itaq; redux factus, cum dubiam uſq; habuerim valetudinem, volui fundamentum ipſius operis diſtractis aliqvot tractatibus evulgare, ut ſi, qvod tamen clementiſſime avertit Deus, fatis concederem, alius me dignior totum opus fundamento illi ſuperſtruere poſſet, ſed ex qvo vires me iterum recuperare animadverti, mutavi ſententiam, nec meliore ſui parte totum opus, cui ſupereſſe nunc pergo, privare volui, ſolam adeoqve delineationem hancce unico prodromo orbi ſiſtere conſultum duxi.

Vix ille, prout ſub initium jam dictum eſt, ad manus aliorum pervenit, & ecce applauſum hunc protenus meruit. Ita enim qvem primò jure merito pono loco, Medicorum hodiè Princeps *DD. Johan Daniel Horſtius* in literis Ffurto d. 5. Febr. anno hujus ad me datis *Legi cum ſumma voluptate, quæ promittis, de collatione & conciliatione veterum & neotericorum. Meus is erat labor olim* (ſic & *Emus. DD. Marchius* refert, ſe hoc labore qvondam occupatum fuiſſe, ſic tantorum virorum votum educo, id qvod inſtituto meo pondus ſuperaddit) *cum ante* 30. *annos Studioſis manuductionem ad medicinam traderem, ſed ſtetit me revulſio ab Academiâ ad aulam. Tu perge exeqvi feliciter cœpta.*

Sed ab iis præcipuè teſtimoniũ virtutis proficiſci poteſt, qvi eam uſurparunt ac in rem ipſam penitius inqviſiverunt, unde ſummoperè mihi gratulor, qvod Viro Emo. DD. *Caſpare Marchio*, arti noſtræ reverâ in decus dato Chymiatro exercitatiſſ. *Kelonis* tunc *Medic. Profeſſore Prim.* nunc *Sereniſſ. Elect. Brandenb. Archiatro*, aliqvot hebdomadarum decurſu viderim. Totam chymiam diſcurſu exegim⁹, ſed & Anatomen, ac multam ſæpè in noctẽ ſermones noſtros protraximus, manus etiam operi adhibuimus circa *Sal Tartari volatile molas philoſophicas* uſus ac id genus alia occupati. Ita verò ille de me in lit. *Sveinfurt. d. 3. Febr.* datis. *Prodromum Sennerti Novi perlegi verè de eo enuncians antiqvum illud* lectio lecta placet decies repetita placebit. *Inveni in eo plurima exactè conformia iis, quæ non ſolum animo dudum fovi meo, ſed & auditoribus ſubinde meis Kilonis præſertim pro eâ, quæ Profeſſorem decet, fide inculcavi intimeq; gaviſus ſum, repertum tandem eſſe, qvi talia in ſyſtematis formam redigere allaboret, qvalem operam meditatus eqvidem ſum ſæpius, ſuſcipere tamen in me prohibitus fui, ratione inprimis eâ qvam prima feciſti p. 8. tui prodromi. Et quod candidè fateor credo omninò multò felicius à te expeditum tam arduum negotium fore, quam ſi ego, aut forte quisquam alius hunc laborẽ ſuſcepiſſet. Novi enim ſatis ac datâ occaſiõe paſſim apud eruditos & ingeniĳ meos artis noſtræ ſectatores necdum fortè ſatis ex merito deprædicavi excellentis ingeniĳ tui*

vigorem

vigorem indefeſſum ſcrutandi naturam, ſtudium atq; experientiam in chymiâ ſingularem, ecce per 6. aut 7. annos, qvibus nunc disjuncti vivimus Anatomes etiam qvod liqvet ἀκρίβειαν jungere voluiſti, ut per ignem Ferrumq; *dici merearis* Philoſophus. *Macte iſthac virtute tua, idq; quæſo age, ut brevi ipſum prodeat opus, quod toti medicorum ordini, non poterit non eſſe gratum, diſſentibus* (& qvis horum ſe numero eximet) perquam ſalutare atque glorioſum. Hæc ille.

Sed ne ſiniſtrè judicent malevoli auribus meis hac in parte aliqvid dari, aliorum etiam & ad alios datas adferam literas. Ita Chymiater ſumi nominis ac ob priſcam & ſumam eruditionem Rolfinccianæ ſtator adoreæ jure meritò dicendus *DD. Wedelius Jehnæ Profeſſor* celebratiſſ. in literis ad *Emin. Virum DD. Lucam* L. F. *Schrockium Phyſ. Auguſtanum ac Collegam Honoratiſſ.* Jehna d. 3. Julij 1674. datis: *DD. Barnerum magni eqvidem facio, qvippe & experientiâ chymica inſtructum, & ſolidius hæc talia tractantem, reliqvi verò plurimi, nil qvam* acidum *&* alcali [redacted] (hoc eſt qvod ad inſtitutum meum facit) *crepant, qvod in ſe non damno, ſed ex particularibus ad univerſalia ea dum producunt, video confundi juventutem, à lectione veterum abſtrahi, & dum credit magni qvid ſe adeptum, hæret in antiqvo luto, &c.*

Medicus FFenſis celebrati nom. *DD. Sebaſtianus Schefferus* ad *Virum optimũ* DD. *Hillingium Inclytæ Norimberg. Phyſicum Prim.* ita ſcribit. *In Prodromi DD. Barneri delineat. admiror auctoris methodum* (ſic & de eâ judicium proſtat, rem ipſam comendatã hucusqve vidimus) *copioſam auctorum lectionem* ſtudia, ingenium *& propoſitum, cui ut ſufficiat in commodum medicorum medicinas, & medicina utentium ex animo precor. De qvo verò non dubito, qvum teſtimonio magni Rolfinccij ſciam, eum tot laboribus ſuffecturum,* qvod, & ipſe confiſus ſuis ſtudiis virtutibus & donis adducit. *Deus ſit adjutor ejus & fortis. De cætero placet, qvod ſine aculeis ſe auctorum opiniones examinatum,* &c.

Non adferam alia, ne nimium mihi abblandiri videar, ſed ornabo illis ipſum opus invidiæ ſuperfuturum. Alteram inſtituti partem nunc accedo, quæ tamẽ ex ipſo Prodromi opere ultrò ferè innoteſcit. *Sennerti novi operi* tribuo nomen, qviâ idem cum eo inſtitutum meum eſt, inſtar *Locorum omnium* referre ea omnia, qvas de arte in hnnc uſqve diem in lucem prodiere 200. & qvod omnium maximum eſt laudatiſſimus Artis Dictator ille prævidit ea, ac in votis habuit, qvod à me tradita nunc ſunt. Filium ejus ſummi nunc nominis Medicum ac *Profeſſorem VVitteberg.* qvondam Præceptorem meum non ſemel dixiſſe recordor, *ſi in vitam rediret Parens, in multis ille ſententiam ſuam mutaret,* adeò à partium ſtudio alienus fuit, ac veritati novis etiam inventis jure meritoq; teſtavit teſtem, ejus rei hic Norimbergæ Virum artis laude ſummè celebrem ac Phyſicum è primis DD. *Mercklinum* Senator. qvi ſocium ſtudiorum beato Sennerto ſe præbuit, ſimul habeo.

Sic

Sic itaq; inutilem repetitionē qvam in ipſo prodromo notavi *methodumq; meam*, dum *ſpecialia ad generalia referenda eſſe* innuit, indicavit *Sennertus* qvod prolixe in ipſo prodromo attuli, circa morborum cauſas *Hippocratis potentias* potiſſ. (in eo verò negotij præcipuè vertitur cardo!) *attendendas eſſe* non bilem calidamq; ſed acrem, amaram, &c. in opere de *conſenſu* & *diſſenſu* contendit, *in Chymiâ vix inventum fuiſſe ullam queritur, qvi rerū cauſas addiderit, eas adeoq; ac opem à Chymiæ ſectatoribus deſiderat*; *commiſſos in compoſitione medicamentorum errores probè vidit* in præfat. hinc tom. 1. praxeos liberum cuiq; *relinquit, ut in meliorem ſimplicia redigat formam, melius ea præparet*, &c. Et qvid multis vix aliqvod inſtitutum meum eſt, cujus veſtigia qvaſi in ipſo *Sennerti* opere legere datum non ſit, atq; hoc ipſum ſpecialiter allatis ipſius *Sennerti* verbis in opere ipſo probatum dabo. Tendo deniq; ad ipſam *Sennerti* lectionē cum omnia mea referam, adeoqve eam in manibus eſſe velim, ultro adhibito tamen ſtudiô innoteſcet, qvid novi ultra anteqvam *Sennerti* lectionem feram.

Video ut omnino video hocq; addi debet veterum doctrinam ſolidiori ſubſiſtere fundamento, qvam modernorum dixerim ferè nugas, ac ut ingenuè agam fateri cogor modernos illos novis inventis abuti; facultas certè veterum innuit principum *vitale* modo quod illa ſit, explicetur debite, ac ad indicationis uſum applicetur. Rem ipſam *mucum viſcidum, atrum flavumq; liquamen* viderunt veteres, licet veras horum cauſas ignorarint, in modo etiam morbi, fluxu ac refluxu humorum errarint, quo nomine excuſari poſſunt, ut ſangvinis circuitum ignorarint.

Pergendum ulteriùs eſt lucem antea dictis nos conferre decet, ſic ab ætate robur venit ac uſus ab annis. Lucem ac vitalem irradiationem ejus ecclypſinq;, qvam ita voco in morbis, ignoraſſe veteres unicum ferè eſt, qvod doleo, *ſeroſa* alias colluvies cum *Helmontis* latice ac modernorum *Bartholini* præcipuè *lympha* concedit, alterum per alterum explicare poteſt, inque eo pari induſtria verſatur opera mea, qua ipſos illa arguit errores.

Ultimum ſupereſt, atq; ſic ingenuos qvoſcunq;, qvi artis incrementa curæ habent cordiq; Viros experientiæ ac doctrinæ omnigenæ laude conſpicuos ſummoperè rogatos volo, ut me hoc in opere ſublevent, experimenta obſervationes, qvas inſtituere, è potioribus mihi ſuppeditent. hoc enim Excellentiſſ. Viri alii artis etiam Primarii laudatiſſimus *DD. Marchius* aliiq; facturè ſunt, ec ſi notæ alicujus remedium aliqvod habeant, *novo* inſerendum *Diſpenſatorio* benevole illud mecum communicent. Unicuiq; ſuum tribuam, ac memoriam nominis ejus beneficium hocce in artem noſtram collatum feræ poſteritati commendabo, debitis affectum hunc extollam laudibus. Ita ſcilicet ex ſuſpenſis tabulis ars noſtra ſcripta à divino *Hippocrate* comprehenſa cœpit, & ego Fanum aliqvod memoriæ eorum, qvi tabulas ſuas contulerunt, ſuperfuturum erigo tholo ilicet ipſemet excidam prorſus.

Veri me habet amor & commodum proximi!

Sed & hoc qvemvis rogatum volo, ut, ſi conferre ad opus hocce aliqvid velit ſine impenſis illud meis, quæ alias nimium augerentur, fiat; occaſione nundinarum Francof. & Lipſienſium inſerviendum erit literæq; ad me datæ. Bibliopolæ celebratiſſimi nominis D. *Wolffgango Mauritio Endtero*, qvi ſpem impreſſionis operis mihi fecit, Francofurtum ac pariter Lipſiam commendari poterunt.

Vale, *Lector benevole*, ac artis incrementis medicinæ operari perge.